4.B.11.

DE HVMANI

Conceptus Formatione,

AC PARTVS TEMPORE.

IOANNIS COSTAEI

Laudensis Medici Clarissimi,

Olimq; in Bononiensi Gymnasio Medicinæ supraordinario loco professoris.

Ad Illustriss. Præsidem Dominum

LAVRENTIVM POLLVM.

PAPIÆ, Apud Petrum Bartolum, 1604.

SVPERIORVM PERMISSV.

Illuſtriſs. Præſidi

D. LAVRENTIO POLLO,

DOMINO SVO ETC.

IO. FRANCISCVS COSTÆVS Laudenſis Philoſophiæ, ac Iuris vtriuſq; Doctor. S. D.

DE Humani partus tempore apud Iurisprudẽtes ſępenumero diſputatur. Recurri autem ſolet ad Medicos vti peritos, neque enim dedignantur Doctores noſtri, ex Philoſophorũ, Oratorũ, ac Poetarum fontibus aliquãdo ſuos hortos irrigare. De hoc partus tempore hoc eſt parentis mei opuſculum. Quod ſub tuo nomine in lucem prodire volui, tum quia res eſſe videbatur eo Iuriſconſulto

digna, qui non modo in Iuriſprudentiæ libris, ſed etiam in Philoſophorum ſcholis non mediocriter eſſet verſatus, qualem te eſſe omnes cognouimus, tum vt eſſet aliquod meæ erga te obſeruantiæ, aput homines teſtimonium, cum ob inumera, quæ in me, & Mediolani Senator, & Papiæ Prætor beneficia contuliſti ſummopere ſim deuictus. Tu igitur Illuſtriſſime vir, hoc qualecunq; grati animi mei monumentum pro tua benignitate æquo recipias animo, ac me tibi perpetuo obſtrictum, ſolita protectione foueas.

INDEX CAPITVM

DE tempore ad humani fœtus conceptum opportuno, & de alimento seminis ex quo fit conceptus, veterũ sententia, atq; de ea dubitatio. C. 1.
De fœtus intra septem dies formatione, varietas in Hippocrate. Pythagoræ opinio. Plinij de tempore conceptus eorum, qui septimo mense nascuntur, ab Hippocrate dissensus. Cap. 2.
De formationis progressu, ac termino, veterum varietas. Cap. 3.
De fœtus motu, veterum sententiæ variæ & dissidia. Cap. 4.
Cur mulieri non vnum sit pariẽdi tempus, non explicatur à veteribus. Hippocratis ambiguitas de numerandi principio. & varietas in mensium acceptione, atq; enumeratione, per dies, septimanas, menses, & quadragenarios circuitus. Cap. 5.
De priuatis partus temporibus, ac primum de sexto mense. Cap. 6.
De septimestri partu. Cap. 7.
De octimestri partu. Cap. 8.
De nouimestri, ac decimestri partu, dubitationes. Cap. 9.
De vndecimestri partu Hippocratis locus difficilimus. De partu decimi quarti mensis Auicennæ sententia. Cap. 10.
Transitus ad superiorum dubitationum solutionem. Septenarij numeri vis in homine. Et ab eo vigesimi, trigesimi, & quadragesimi numeri deductio. Causæ variæ fœtus formationem, motum, & partum accelerantes, aut retardantes. Cap. 11.
Conceptus tempus varium. Quomodo cõceptus fieri possit tẽpore menstruæ purgationis. De huius tempore & modo Aristotelis loci explicati. Cap. 12.
De Conceptu sex, au septem dierum, Hippocratis, & Pythagoræ sententia exponditur. Cap. 13.
De conceptu eorum, qui septimo mense nascuntur, Hippocratis, & Plinij Conciliatio. Cap. 14.
De tempore formationis fœtus, varietatis, quæ apud veteres, excusatio. Pythagoricæ inuentionis, de septimestris fœtus formatione, refutatio. Censura eorum, quæ de priuatis formationis gradibus alij scripsere. Cap. 15.
Dubitationum de fœtus motu solutio. Cap. 16.
Cur mulieri non vnum sit pariendi tempus. Cap. 17.
Vndenam mensium enumeratio inchoanda sit, à conceptu ne, an à menstruis. Cap. 18.
Qui mensis in disputatione de fœtu sumẽdus sit. Et quomodo septimanæ cum mẽsibus, quadragenarijsq; circuitibus concurrant. Cap. 19.
Quomodo totum gestationis vteri tempus deducatur per menses, per dies, & quadragenarios circuitus. Cap. 20.
Cur ante septimum mensem nati non viuant. Cap. 21.
Cur nati ante annum dimidium nõ viuãt. Hippocratis sententia explicatur. Cap. 22.
An septimestris fœtus attingere debeat septem nouilunia, & plenilunia. Quousque vitale in eo tempus extendatur.

An

An fœmina septimo mense orta sit vitalis. Cap. 23.
De octimestri partu. Hippocratis locus difficilis explicatur. Cap. 24.
Cur octimestres non viuant. Cap. 25.
Qui nono aut decimo mense nati viuant. Cap. 26.
De decimestri, & vndecimestri partu Hippocratis locus difficilis expenditur, & explicatur. Cap. 27.
De partu in decimo quarto mense facto ex Auicenna. Cap. 28.

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

ARISTOTELIS, & medicorum dissidium. 3. c. de fœtus motu varietas. 8. D. de octimestri partu ab Hippocrate dissensus. 13. B. Loca explicata 21. A. Sententiæ de menstrua purgatione, quæ falsitatis notatur, interpretatio. 22. A.

Conceptus quomodo fiat. 2. A. Fit inchoantibus, aut desinentibus mensibus, 2. B. 3. A. 4. B. 20. A. D. An vt fiat necessarius sit sanguis menstruus. 2. c. 3. A. B. C. 20. B. Conceptus facti indicium. 3. D. Septimestris fœtus fit die sexto, nouimestris, ac decimestris septimo, ex Pythagora. 4. B. Septimestris fœtus. Plinij, & Hippocratis dissensus. 4. C. hac de re authoris sententia. 23. B. Conceptus impedimenta. 46. D.

Dierum enumeratio in Partu vnde inchoanda sit. 10. A. Dierum, Septimanarum, Mensium, & Quadragenariorũ circuituum ratio, quomodo concurrat. 11. A.

Decimestris. Vide Partus.

Fœtus in formatione progressus. varietas in Hippocrate. 3. D. Gradus quatuor. 5. A. Fœtus diei sexti & septimi magnitudo. 4. A. 22. C. Quadragesimi diei formicæ magnitudo. 5. A. Vide 8. A. B. Eius qui septimo mense in lucem proditurus est conceptus die sexto; qui nono, aut decimo, die septimo. 4. B. Ratio 22. D. 23. A. Fœtus à conceptu ad partum partes duæ. prior formationis vsque ad motum; posterior exornationis à motu ad partum. 4. D. Fœtus septenario numero maxime regitur. 17. D. progressum in vtero non modo septenarij numeri, sed etiam causarum, & communium, & priuatarũ vim sequi. 17. D. Progressum immutantes causæ tum cõmunes tum priuatæ. 17. 18. Eius Gestatio in Vtero quomodo per dies, menses, & quadragenarios circuitus decurrat. 32. B

Fœtus Formatio duplex. 22. D. 24. A. Formationis fœminæ dies ad summum quadraginta duo, maris triginta. Alijs trigintaquinq;. Alijs quadragintaquinq;, Alijs quinquaginta. 4. D. 24. B. In formatione marem distinctis membris esse die quadragesimo, fœminam non nisi quarto mense. 5. A. hoc quomodo intelligendum. 24. B. Formationis Gradus quatuor. & Progressus. 5. & 6. 7. 8. De ea re authoris sententia. 24. C. 25. Formatio vt cele-

celerius aut serius fiat. causæ tum adiuuantes, tum communes, tum propriæ. 17. 18. *de Formationis tempore nihil certi posse statui.* 19. C. *Fœtus Motus, vide Motus.*

Hippocratis varietas. 3. D. *Hippocratis, & Plinij dissensus.* 4. C. *Locus male à Cornario versus.* 10. C. *Locus difficilis.* 15. C. 38. D. 44. D. 48. A.

Mensem primū in Conceptu septimestri, dierum non plurium quam quindecim Hippocrates statuit. 4. C.

Mensis acceptio multiplex, & veterum hac in re varietas. 10. B. C. *Solaris, Aegyptius seu Vulgaris, Lunaris, Apparitionis, Peragrationis, Coniunctionis, Medicus,* 11. B. *Qui nam Mensis debeat obseruari in disputatione de fœtus temporibus.* 29. D. *Cur ante Mensem Septimum nati non viuant.* 34. C. *Vulgaris inter Solarem, & Lunarem medius non negligendus.* 38. B. *Mensium in partu enumeratio vnde inchoanda.* 29. A. *Mensis Octaui consideratio, & quomodo nunc habeat de septimo, nunc de Nono, nunc de Anno.* 40. A.

Menstruæ excretionis tempora, Dissidium Philosophorum, & Medicorum. 3. C. *De ea re expenduntur veterum sententiæ.* 21. A. *Menstrua paucis singulo, plerisq; altero quoq; mense fluere scribit Aristoteles.* 3. C. *quomodo id intelligendum.* 21. C. *Ea de re Plinius non recipitur.* 22. B. *Menstruis quæ carent an possint concipere.* 2. C.

Motus fœtus in vtero varietas. 8. C. *An motus marium in vtero celerior quam fœminæ. ibid. De fœtus motu Aristotelis atq; Hippocratis placitum. de hac re dubitationes.* 8. D. 9. A. *authoris opinio.* 26. A. *Motus fœtus duplex, obscurus & euidens.* 26. A. *Eius tempus definitum non esse.* 19. C. *Causæ accelerantes aut tardantes. ibid. &* 25. C.

Mulieres menstrua purgatione carentes an posint concipere. 2. C. *Plerasq; concipere post menstrua, quomodo intelligendum.* 46. C. *Mulieres de fœtus Motu aut Partu, nihil certi posse constituere.* 19. B. *Cur fallantur aliquando in Mensium enumeratione.* 42. B.

Naturæ procreatricis sapientia. 16. C.

Nouimestres partus cur aliqui vitales, aliqui non. 41. D. 42. A. 43. D. *Vide Partus.*

Numerorum ratio in conceptu septimestris fœtus ex Pythagora. 5. D. *Septenarij vis.* 16. D. *Numeri maxime potentes in morbis & fœtu, primi ac septimi.* 17. B. *Numerandi principium vnde inchoandum.* 29. A.

Octimestris partus consideratio, & de eo Hippocratis locus obscurissimus. 13. A. 38. D. *cur non viuat.* 42. C.

Partus duplex, maior & minor. 5. D. *Minoris principium Senarium esse numerum, Maioris Septenarium.* 5. D. 6. A. *Cur Partus tempus non vnum sit mulieri, nō explicuere veteres.* 9. D. *Ostenditur.* 27. D. *in partu vnde inchoanda dierum enumeratio, Hippocrates dubius.* 10. A. *Vide.* 29. A. *in partu dierum, Septimanarum, Mensium, & Quadragenariorum circuituum rationem habet Hippocrates.* 11. A. *Partus Senarij consideratio.* 11. D. 12. A. *Partus Septimestris.* 12. B. *Tempus legitimum.* 35. D. *Qui sit Vitalis.* 36. A. 37. A. *An*

A. An attingere debeat septem nouilunia & plenilunia. 36. C. Octimestris consideratio. de eo Hippocratis locus obscurissimus. 13. A. eius loci explicatio. 28. D. quomodo aliquando vitalis sit, aliquando non. 41. 43. Nonimestris consideratio. 14. D. 15. A. Cur aliquis non vitalis. 41. D. 42. 43. Decimestris. 44. D. Ex Septem Quadragenarijs constat. 45. A. Aliquando iudicatur Vndecimestris, & cur. 47. B. Vndecimestris. 15. C. 44. & 47. Partus Decimiquarti mensis. 16. 48. Partum accelerantes aut tardantes causæ. 18. 19. 28. C. de partu nihil certi statuere licet. 19. C. Partus futuri cognitionem pendere à cognitione conceptus, & decursu per Septimanas. 17. B.

Quadragenariorum circuituum rationem habet Hippocrates in vteri gestatione 11. A. Quomodo concurrant cum mensibus. 33. D. Quadragenarij tres in fœtibus præcipui. 41. B.

Semen maris retineri in vtero & nutriri necesse est, vt conceptus fiat. 2. A. An eius nutritio quum sit conceptus; sit ex sanguine menstruo. 3. A 20. D. 21. A. Ex Seminis paterni varietate, formationis, motus & partus varietas. 18. B.

Septenarij numeri vis. 16. D. 17. B. Compositio. 17. C. Ex eo denarius, vigenarius, & menses, ac quadragenarij circuitus constant. ibid. eo maxime fœtus regitur. ibid.

Septimanarum rationem habet Hippocrates. 11. A. An cum ipsis concurrant Menses, & quadragenarij circuitus. ibid.

Septimestris fœtus conceptus die sexto. 4. B. in Interlunio. 4. C. Partus tempus legitimum. 25. D. Qui sit vitalis. 36. A. 37. A. C. 38. A. An attingere debeat septem nouilunia & plenilunia. 36. C. an Septimestris fœmina vitalis. 38. B.

Vteri exoretiones mulieribus non omnibus accidere. 2. B. Vteri natura varia, formationis motus & partus varietatem parit. 18. D. Vteri os quando aperiatur. 2. A. D.

ERRATA.

Pagina 9.	linea 9.	ipsi	Lege ipse
24.	23.	ὁμυνυμως,	ὁμωνύμως
31.	5.	nobis.	nos.
32.	19.	quo.	quod
33.	7.	nunc menses.	nunc dies, nunc menses.
48.	23.	XXIII.	XXVIII.

A IOANNIS COSTÆI
IN LIBRVM
DE HVMANI CONCEPTVS, FORMATIONIS, MOTVS, ET PARTVS TEMPORE,
PRAEFATIO.

SI quid eſt, quod controuerſum,
B *tenebriſq; inuolutum nobis ve-*
teres reliquerint, illud eſt maxi-
me, quicquid ad humani conce-
ptus, formationis, motus, & par
tus tempora pertinet. In cuius argumenti illu-
ſtrationem, quum diuerſis temporibus aliqua mi
C *hi eſſent adnotata, colligere illa nunc, & collecta,*
licet probabilibus magis quam neceſſarijs rationi
bus fundata, placuit ſtudioſis communicare, ad
artis, quam profiteor incrementum, ad nobiliaq;
ingenia in huius medicinæ partis pulcherrimæ
contemplationem excitanda; cui, quamuis de re
adeo vulgari, ad eam claritatem nondum conti-
D *git perduci, quam alijs multis partam videmus.*
De his igitur ſingulis, quæ dubitationem faciant,
primum proponam; tum quo pacto diſſolui du-
bium omne poßit, dabo, quantum in me erit, ope-
ram; vt ex ordine apertum fiat.

A

De tempore ad humani fœtus conçeptum opportuno, & de alimento ſeminis ex quo fit conceptus, veterum ſententia, atq; de ea dubitatio. Cap. I.

QVVM ad humani fœtus conceptum patris
ſemen in matris vtero recipi, receptum
retineri, & nutriri neceſſe ſit; hæc Medi-
corũ ſententia eſt, quia vteri os nunquam
niſi in menſtrua expurgatione recluſum B
ſit; propterea illius ſolum tempore con-
ceptum fieri; neque toto tamen eo, ſed, quum purgatio in-
cipit, vel deſinit: tunc enim, & parum quid ſanguinis, &
paulatim exſudare; id quod poteſt vteri ſinui, ſuapte natu-
ra læui, inducere aſperitatem ad retinendum ſemen neceſ-
ſariam, prætereaque ipſum met ſemen nutrire; quod alio-
qui in medio purgationis tempore a ſanguine multo, & cõ-
Gal. de diſſec. vteri cap. 10. fertim irruente diluitur, atque ęffluit. Ex his igitur, quum
illud etiamnum exploratum ſit, muliebres excretiones non C
omnibus accidere; ob id, quæ mulieres expurgari non con-
ſueuere, eas quoque omnibus receptum eſt, ad conceptum
eſſe omnino inutiles. Hæc ex illis, quæ non carent contro-
uerſia. Primum, quod, etſi vteri os, quo ſemen excipiat,
apertum eſſe oportet; quod aiunt tamen, nunquam niſi vte
rinæ purgationis tempore, neque alijs, quam ijs, quæ illam
pati ſolent, aperiri vterum, redarguit quotidiana obſerua-
tio, qua docemur, & conçeptum multo etiam tempore fie-
ri à purgatione; & concepiſſe illas, quæ nunquam vel an- D
cap. 2. tea, vel poſtea fuerint expurgatæ. Quod non diſſimulauit
Ariſtoteles, qui ſeptimo hiſtoriarum, quæ menſtruis carẽt,
magna quidem ex parte ſteriles eſſe ait: fieri tamen poſſe,
vt aliquæ ſine illa excretione concipiant. Itaque, ſicuti ijs,
quæ nunquam purgantur, quum concipiunt, aperiri vteri
os fatendum eſt; ita probabile eſt, omni tempore in vene-
reo congreſſu vterum ſeminis auidiſſimum poſſe recludi:
qui etiam in prægnantibus ob voluptatem aliquãdo aperi-
tur,

A tur, quando fit superfœtatio. Sed quid est, quod tam necessariam ad conceptũ faciat sanguinis illius menstrui præsentiam, vt, non alio tempore, quam quo is mouetur, conceptus fiat? Rationem afferunt, quod vteri sinum læuem exasperari oportet, ne semen effluat. pręteréaque, quod alimento semini est opus, id autem sanguis ille præbet. Quasi vero semen, substantia lentum, facillime sui natura agglutinari illi sinui non posit;& humor ille, quem in concubitu effundere mulieres solent, quem semen vocant, Medi-
B corum testimonio ad viri semen nutriẽdum non pertineat, tantilloque semini alendo non sit satis; imo ad hunc vsum sanguine illo opportunior, cum ob similitudinem quam maiorem habet semen cum semine, quam cum sanguine; tum ob substantiam coctione magis & elaboratam, & sorditiei expertem; cuius multæ menstruus ille sanguis est particeps. Verum, quis etiam conceptum in bene expurgato vtero potius fieri non concedat, quam in coinquinato? Hinc enim illud quoque est, quod Galenus alicubi scri- *1. de semine. cap. 2.*
C bit, conceptũ maxime fieri, postquam nuper cessarunt menses. Non igitur, quæ illi de conceptu in menstrua purgatione, satis habent firmitatis. Sed neque etiam de menstruę excretionis tempore, Medicis conuenit cum Philosophis. Purgari enim mulieres, ait Aristoteles, decrescente Luna: *7. histor. 2.* & paucas singulo, plerasque autem altero quoque mense: Contra Medici, & noua quoque, & plena Luna, & singulis mensibus, quæ sanæ sunt, semel: aliquas etiam bis purgari, sensus testimonio contendunt.

D

De fœtus intra septem dies formatione, varietas in Hippocrate. Pythagoræ opinio. Plinij de tempore conceptus eorum, qui septimo mense nascuntur, ab Hippocrate dissensus. *Cap. II.*

VBi semen in vtero dies septem permanserit, certum est conceptus facti indicium. De fœtus autem, ab eo tempore, in formatione progressu, non obscura est varietas in Hippocrate. Qui, quum alibi *Arist. 7. Hist. cap. 7.*

Lib. de natura pueri. fœtum ſexto die excluſum a ſe conſpectũ, fuiſſe dicat mem- A branam, oui inſtar, cui exterior teſta detracta ſit, rubram, fibris albis, ac craſſis, ichore craſſo, & rubro obuolutis, refertam; ad cuius medium tenue quiddam emineret, vmbilicus ſcilicet, vt ille exiſtimauit: *Lib. de principijs.* alibi ſeptimi diei fœtum ſcribit habuiſſe conſpicuas oculorum regiones, & aures, & brachia, & crura, & manuum pedumque digitos, & pudendum, & membra omnia reliqua quæcunque habere corpus debet. Quæ, quum ita ab eo ſint tradita, profecto, ſicuti, quod de rudi illo conceptu in priori obſeruatione eſt, creditu facile eſt: ita quod in poſteriori, difficile. Etſi enim B ſeptimum diem par eſt in formatione aliquid fœtui addidiſſe, quod non eſſet in ſexto: tantum illi tamen acceſſiſſe die vno, veriſimile non eſt; vt tam conſpicua in eo eſſent membra omnia, quorum antea nullum eſſet cõſpectum veſtigiũ. Ad hunc locum ea etiam pertinent, tum quod Pythagoram obſeruaſſe memoriæ traditum eſt, *À Cenſorino de die nat. cap. 11.* illorum conceptum, qui ſeptimo menſe prodituri ſint in lucem, ſexto die fieri; eorum autem, qui nono, aut decimo, die ſeptimo: tum illud, quod eos, qui ſeptimo menſe naſcuntur, conceptos eſſe ait C Plinius etiam in interlunio, *Lib. 7. cap. 4.* contra quam Hippocrates. qui, *Lib. de ſeptime. par.* vt ſeptimeſtrem partum centum, & octuaginta duobus diebus cum dimidio fieri probet, primũ menſem dierum non plurium ſtatuit, quam quindecim; quo apertiſſime ortum illis dat in plenilunio.

De formationis progreſſu, ac termino, veterum varietas. Cap. III.

D

TRanſeamus ad reliquam formationem. Facto conceptu, quum temporis ab eo ad partum vniuerſi duæ pręcipuæ ſint partes, prior formationis a conceptu ad tempus, quo moueri in vtero fœtus incipit; poſterior exornationis a motu ad partum; mirum eſt, quam varie de formationis, & vniuerſæ termino, & progreſſu, varij ſcripſerint. *Lib. de natura pueri.* Nempe, quum Hippocrates fœmellæ conformationem diebus ad ſummum quadraginta duobus, ma-

ſculi

A sculi aũt triginta fieri scribat; Alij, eodẽ referente, in vniuersum formationi dies assignent triginta quinque; alij quadragintaquinq;, alij quinquaginta. Aristoteles vero marẽ discretis iã mẽbris, formicę maiusculę magnitudine consistere dicat die quadragesimo: fœminã contra, non nisi quarto mense suscipere distinctionẽ. Sed de progressu quoq; in formatione non consentiunt. Statuit quidem Galenus eius gradus quatuor. primum, quo fœtus materia speciem adhuc seminis retinet: genituram tunc Hippocrates vocat. secun- *Lib. de alimento.* *7. hist. 3.* *1. de sem. cap. 9.*
B dum, in quo genitura in carneam substantiam sensim conuertitur; & iam fœtus vocatur. ab hoc deinceps tria corporis principia distingui cum adumbrata partium aliarum figuratione: & embryo est. a quo dehinc artus omnes articulentur, & moueri embryo incipiat: tuncque puellus, & puella ab Hippocrate appellantur. Hæc ille. Qui, quo tempore singula hęc fiant, quum non doceat; alij (quod scribit Auicennas) rem hanc sic minutius prosequuntur. primum, semen vtero exceptum sex primis exactis diebus, in spumo- *3. Can. f. 21. cap. 2.*
C sum quid & butyro simile immutari. mox post dies tres, quasi sanguinis guttam, & rubra filamenta. tum post sex alios, id est, post quindecim a conceptu, fœtum, quasi coagulatum sanguinem referre; & post alios duodecim spectari carnem cum trium præcipuorum viscerum distinctione. eminere autem tunc partem, a qua spinalis medullæ initiũ est. tum post dies nouem caput ab humeris distingui, & laterum extrema, ac ventrem sensu euidenter discerni. atque ita fœtum absolui, serius quidem nonnunquam aut celerius,
D in fœminis autem plerunque tardius; ita tamen, vt sæpius ad pręscriptum diem hæc fiant: sed non ante trigesimum quintum; raro autem post quintũ, & quadragesimum. Hæc ille. Quibus non valde dissimilia sunt, quę Pythagoræ ascribuntur de ijs, qui septimo mense nascuntur. Cuius sententia, quia ingeniosa non caret ratione, non est, vt hoc loco prætermittatur. Quum duo sint hominis partus, alter minor, eorum, qui septimo mense nascuntur; alter maior eorum, qui nono, ac decimo; minoris principium senarius est numerus, maioris septenarius. Maioris ergo conceptus sex *Apud Cẽsor. de die natali. cap. 11.*

diebus fit, qui numerus perfectus vocatur, quod eius partes tres, sexta, & tertia, & dimidia, id est, vnus, duo, tres, eundem ipsum perficiant. Secari enim potest in sex vnitates, in ternos binarios, & ternarios duos. Illi igitur numero si addatur tertia pars, fit octauus numerus, respondens consonantiæ diatessaron; quæ in proportione est sesquitertia, quę est quatuor ad tria. Si addatur eius dimidium, fit nonus numerus, respondens consonantiæ diapente, quæ in proportione est sesquialtera, qualis duorum ad tria. Si duplicetur, fit duodecimus numerus, qui respondet consonantiæ diapason, quæ in dupla est proportione. Coniungantur ergo hi numeri omnes, sextus cum octauo, nono, & duodecimo, resilit numerus trigintaquinque: fundamentum totius formationis in eo, qui septimo mense proditurus est in lucē. Qui numerus sexies repetitus summam facit dierum ducentum, & decem. quod est tempus partus septimestris. In fœtu autem maioris partus, fundamentum, non senarius, sed septenarius est numerus. In hoc semen in septimo die in sanguinem vertitur, & diebus fere quadraginta fit formatio. Qui dehinc quadragenarius numerus per septenariū initialem nnmerum multiplicatus, terminū partus constituit dierum ducentum octuaginta, id est, hebdomadarum quadraginta. Sane autem hoc Pythagoræ de septenario numero propositum sequuti quidem sunt multi; priuatim autem, quomodo huius decursu vniuersa fœtus in vtero ad partum vsque formatio absoluatur, ostēdere studuerunt apud Macrobiū, & Strato, & Diocles, formationem ita dispensantes, vt in prima hebdomade, conceptus materia, quam genitiuū humorem vocant, folliculo obducatur. in secunda, in folliculi superficie sanguinis guttæ appareant, quæ in tertia introrsum ad ipsam conceptus materiam demergantur. in quarta autē coaguletur fœtus materia, & vt quiddam veluti inter carnem, & sanguinem non plane solidum consistat. in quinta, si septimo mense futurus sit partus, humana figura effingatur, magnitudine apis, cum membrorum omnium delineamentis. quæ, si nono mense absolutio sit futura, in fœminæ quidem gestatione in sexta; in masculi vero in septima

1. in Som. Scip. 6.

A B C D

A ptima appareant. Alij, vt author est, qui librum scripsit de Compagine membrorum, hominis formationem totam a conceptu ad partum longe aliter prosequuti, non tam paucis diebus, vt superiores, humani corporis fabricam vniuersam deduxere, sed singulis mensibus ita suas ascripsere operas, vt coniunctum vtriusque parentis semen primo mense, intimi caloris vi in sanguineam glebulam informem immutetur, Saturni frigiditate, & siccitate comparatam. Secundo, Iouis calore, & humore robur, ac distensionem præbente, in vermiculi longi, & rotundi formam producatur. Ter-
B tio Martem calore suo firmitatem dare, siccitate autem incidere, vt in fœtu crura diuidantur, a lateribus crura separentur, & collum, ac caput perficiatur. Quarto, Solis vi, qui calore, & siccitate temperatior est Marte, formari cor, iecur, cerebrum: infundi animam, & vim mouendi. Quinto, actione Veneris, quæ frigida, atque humida est, & interiora & exteriora quoque, digitos manuum, ac pedum; aures, os, genitalia, atque anum effingi. In sexto, Mercurij opera, qui in actiuis, passiuisque qualitatibus temperatus est, ocu-
C los palpebrasque efformari, & capillos atque vngues enasci. In septimo, Lunam sua humiditate, ac frigiditate toti corpori per meatus alimentum diffundendo, carnes, atque adipem, nec non & cutem, quæ corpus obducit, complere. tunc vero fœtum quidem exacte iam formatum tẽtare exitum, sed reniti vterum, vt firmior fœtus fiat: qui tamen, si vtero sit validior, exeat, etiam vitalis, quum nihil illi ad absolutam formationem desit. contra autem, si robustior sit vterus, contineatur. Sequitur octauus mensis, in quo fœtus,
D denegato illi egressu, quiescit, Saturno rursum sua frigiditate illum retardante, & siccitate alimentum absumente. vnde parcius ipsum nutriri accidit. Instat tandem nonus mensis, quo fœtus, cum vteri, tum Iouis succedentis calore firmior redditus, & enutritus, exitum obtinet. natura concedente. Hæc ex veteribus. Ceterum, quando hæc scire non licet, nisi ex obseruatione abortuum; contigisse alicui, tot abortus vt videat, dierum sex, nouem, quindecim, vigintiseptem, triginta, triginta quinque, aut quadraginta; pri-

mæ, ſecundæ, tertiæ, quartæ, quintæ, ſextæ, ſeptimæ hebdomadis; & ſingulorum menſium vſque ad nonum; neque probabile eſt; neque, ſi quis etiam viderit, certi aliquid ex illis ſtatuere facile eſt, quum conceptuum initia, raro, vixque a diligentiſsimis etiam, atque exactiſſimo ſenſu præditis mulieribus cognoſcantur; neque ſi cognoſcantur, eadem ſit formatricis facultatis, & caloris vis in omnibus. neque ex eo, quod ſemel viſum ſit, id eſſe homini perpetuũ proferre liceat. Quam vero illud vero ſimile eſt, quod fœtui, qui quadraginta dies, aut quartum menſem, ſeu ſeptimanas quinque, ſex, aut ſeptem attigerit, non maiorem, quam formicæ maiuſculæ, ſeu apis magnitudinẽ tribuunt? Illud autem, quod apud Macrobium eſt, ſi nono menſe futurus ſit partus, fœminam hebdomade ſexta, maſculum ſeptima, illius, quam dicunt, magnitudinis conſpici; Hippocrati, Mediciſq; plane omnibus diſſentaneum eſſe, apertum eſt: qui marem vna omnes obſeruatione celerius effingi, quam fœminã deprehendere. A B

De fœtus motu, veterum ſententiæ variæ, & diſsidia. Cap. IV. C

SEd de fœtus prætere a motu, quod non multo firmiora memoriæ litterarum commendarint, difficile non eſt oſtendere. Quod primum, mares celerius quam fœminas in vtero moueri generatim ſtatuunt, perpetuum non eſt. quæ enim dum vtero mares gererent, non prius, quam quarto iam menſe; quum fœmellas, etiam tertio fœtus ſaltum adnotarint, earum non unum exemplum eſt. In certo autem motionis tempore aſſignando, quæ varietas? Ariſtoteles maris motum ad quadrageſimum, fœminæ ad nonageſimum diem eſſe ſcribit. Hippoc. vero pro temporis in efformando varietate, varietatẽ etiam motus, & partus ita proponit, vt duplicatũ formationis tempus ſit tempus motionis; triplicatũ autem motionis, ſit tempus partus. quare ex formatione alios ſeptuaginta, alios ſeptuaginta ſex, alios centũ ſoles ad primum ſaltum requirere: & ad hãc quoq; rationem D

7. hiſt. cap. 3.

Lib. de alim. & 2. epidem. ſect. 3.

tionem

A tionem pariendi tempus notare. Ceterum, quomodo incertiſsima ſit hæc lex, varia docent. primumq;, quod, quum idem Hippocrates maſculi fętus formationi dies det triginta; motus eſſe debet die ſexageſimo: partus igitur centeſimo octogeſimo. atqui primum partus terminum, qui etiam rarior eſt, nempe ſeptimeſtrem, non minus temporis ſpacium apprehendere, quam centeſimum octogeſimum ſecundum cum dimidio, ille ipſe eſt author. Sed ab ijs etiam, quorum ipſi meminit, eam non ſeruari legem apertum eſt. qui abſoluta die quadrageſimo quinto formatione, ad motum B ſeptuaginta ſex requirunt, quos eſſe oporteret nonaginta. Quid vero, ſi huc Ariſtotelem quoq; aduocemus? Qui, quũ maris motum ad quadrageſimum diem fieri ſtatuat, fœminæ ad nonageſimum; maſculi partum die centeſimo vigeſimo, qui menſis eſt vulgaris quartus, huius legis obſeruatione fieri ex eo eſſet ſtatuendum. Verum, ſi vera illa lex eſt, profecto, vbi etiam conuerſo ordine a partu motum, & a motu formationem quæramus, non diſſimiliter, atq; propoſito ab Hippocrate modo reſpondebit res ſenſui, ac veC ræ obſeruationi. Quando ergo frequentiſſimum eſt partum nono menſe fieri; ſi ab hoc quæramus motũ, erit is die nonageſimo. qui eſt menſis tertius: ſi formationem; die quadrageſimo quinto, id eſt menſe vno cum dimidio: non autem die trigeſimo, aut quadrageſimo ſecundo, vt illi aiunt.

Lib. de nat. pueri.

Lib. de ſeptimeſt. par.

7. hiſt. cap. 3.

Cur mulieri non vnum ſit pariendi tempus, non explicatur a veteribus. Hippocratis ambiguitas de numerandi principio. & varietas in menſium acceptione, atque enumeratione per dies, ſeptimanas, menſes, & quadragenarios circuitus. D *Cap. V.*

QVum de formatione, ac motu fœtus adeo incerta ſint omnia, vt oſtendimus, longe etiã incertiora dixeris, quæ de partu. Et mulieres quidẽ, vt ab Hippocrate atq; Ariſtotele ſcribitur, varia pariendi tẽpora inter cetera animalia habere apertũ eſt: nempe & ſeptimo, & nono,

7. hiſt. 4.

nono,& decimo,imo & vndecimo naturales fieri partus cō ſentiunt. eſt etiā obſeruatū aliquos menſe octauo in lucē editos vixiſſe. & Auicennas ſexti quoque meminit, & decimiquarti. At,quid eius varietatis ſit cauſa,non fuit a veteribus explicatum. &, quæ ita de tam vario partus tempore ſcriptis tradita ſunt, an ijs vera obſeruatio reſpondeat; & quo modo reſpondeat, ſtatuere difficile eſt. incerta enim eſſe, quæ afferunt, aliqua ſunt, quæ ſuadeant. illud autem maxime, quod vnde nam inchoanda ſit dierum enumeratio,non
2. Epidem. ſect. 3. plane conſtat, quum Hippocrates,an a menſium ſuppreſſione, an a conceptu incipiendum ſit, ambiguum ſe alicubi oſtendat, ſcribens, aut a menſium fluxu numerandos eſſe nouem menſes, aut a conceptu. Quo etiam loco, quia menſis multiplex acceptio eſt, quum nouem menſes dicat Græco more ſumptos diebus ducentis, & ſeptuagenis conſtare;qui numerus ex triginta nouies repetitis prodit; accipere ſe mēſem vulgarem plane oſtendit, quo pacto & Galenus in fragmento Cōmentarij in librum de ſeptimeſtri partu,& Aui-
3. Can. f. 21. cap. 2. cennas, vitalem fœtum eſſe affirmans,qui ducentis denis,& qui ducentis ſeptuagenis diebus oritur. qui numerus ſeptimum, ac nonum menſem vulgarem conſtituit: Contra autem in libro de ſeptimeſtri partu, menſes quinque, dierum eſſe centum, & quadraginta ſeptem cum dimidio ſcribit Hippocrates. aperte intelligens de menſibus, quos lunares vocant coniunctionis, qui ex diebus ſunt nouem cum dimidio ſupra viginti. quod etiam explicat, quum ſubdit, dies ſexaginta, vno minus, duos menſes quamproxime complere. Sed & in libro de octimeſtri partu, nouilunium, quod dies vnus exiſtit, eſſe ait ἐγγύτατα, id eſt, proxime, trigeſimam partem menſis. (eam vocem Cornarius male vertit, exactiſſime)& dies duos partem eſſe fere quindenam,& tres decimam, & reliqua iuxta horum rationem. his vocibus (proxime) & (fere) plane teſtatus, ſe non de vulgari, ſed de lunari coniunctionis menſe agere. cui horæ duodecim deſunt ad integros dies triginta. de quo Ariſtoteles quoque agit quarto de generatione animalium, quum per circuitū
Cap. 10. intelligere ſe ait totum tempus a coniunctione vna Solis,&

Lunæ

A Lunæ ad aliam. Sed illud præterea difficile nobis reliquit Hippocrates, quod, enumerando, nunc dierum, nunc septimanarum, nunc mensium, nunc quadragenariorum circuituum rationem proponit, quæ simul concurrere vix queāt. Apertum est, quadragenarium circuitum ad integras septimanas referri non posse, cui dies duo ad septimanas sex desunt; quinque autem vltra septimanas quinque supersunt. Neque ad eas referri etiam potest mensis, qualemcumque sumpseris. Non solaris, qui, vt est duodecima pars pera-
B grationis Solis ab vno in eundem signiferi locum, in diebus trecentis sexaginta quinque, & diei quadrante; dierum est exacte triginta atque horarum fere decem cum dimidia: cui propterea, si ad septimanas referatur, dies bini, & horæ decem cum dimidia vltra quatuor septimanas supersunt. Non vulgaris, seu Aegyptius, qui diebus triginta constans, vltra septimanas quatuor, dies habet duos. Non Lunaris, apparitionis dictus, qui, quum aliquando dierum sit viginti sex, atque horarū duodecim, vltra septimanas tres, dies
C habet quinque, & horas duodecim. Non mensis peragrationis, qui dierum est viginti septem, atque horarum octo; cui propterea horæ desunt sexdecim, vt septimanæ sint quatuor. Non mensis coniunctionis ex diebus viginti nouem, atque horis duodecim constitutus, qui vltra septimanas quatuor, diem habet vnum, & horas duodecim. Non postremo, mensis Medicus; cui, quū dierum sit viginti sex, & horarum duarum supra viginti, ad integras quatuor septimanas desunt horæ binæ, & dies vnus. Concurrere igi-
D tur quum non possint, neque cum mensibus, neque cum quadragenarijs circuitibus septimanæ, quomodo cohæreant, quæ Hippocrates scripsit?

De priuatis partus temporibus, ac primum, de sexto mense. *Cap. VI.*

VErum age, quæ dehinc de priuatis partus terminis notant, expendamus. Cōmunis est Medicorum consensus, qui ante septimū mensem nascuntur, non

non viuere. priuatimque, qui ante diem centeſimum octogeſimum ſecũdum cum dimidio, ac diei particula in lucem veniunt, non cenſet Hippocrates eſſe vitales. Contra tamen ſexto menſe ortum aliquando vixiſſe, author eſt Auicennas. Dignum ergo ſcitu eſſet, cur ante ſeptimũ orti non viuant, & quamdiu poſt ortum viuant. quod eſt a veteribus prætermiſſum. A

De ſeptim. p. 9. de anima- lib. cap. 5.

De ſeptimeſtri partu. *Cap. VII.*

B

De ſeptim. p.

SEd de ſeptimeſtri partu, quis diſſenſus? Illum Hippocrates dierum ſtatuit centum octoginta duorum cum dimidio, ac diei particula. quod, vt non temere fieri doceat, primum, & vltimum menſem mutilos ſumit. At quomodo ſeptimeſtris vere dicatur, qui vere ſemeſtris eſt? An vita hominis nõ in re, ſed in nominis vi poſita eſt? Adde, quod alibi idem ſcribit ſeptimeſtrem tres habere ſeptimanarum denarios, ita vt totum illius ſpacium ſit dierum ducentum, ac decem. A cuius ſcriptoris ſententia non recedere Auicennã plane conſtat, quum vitalem eſſe fœtum ſtatuit, ſi ducentis denis, aut ducentis ſeptuagenis diebus naſcatur. quanquam ab his diuerſus Galenus alicubi, re diligenter obſeruata, aliud ſe aſſerit deprærhendiſſe. nempe pleraſq; centum nonaginta, aut ducentos dies fœtum geſtaſſe: paucas ante centeſimum octogeſimũ ſecundum, & horas quindecim; vel poſt ducenteſimũ quartum; vnam autem ſolam nouiſſe, quæ cẽteſimo octogeſimo quarto exacto pepererit. ita vt, primus terminus, ante quem ſeptimeſtris fœtus vitalis eſſe non poteſt, ſit dierum centũ octoginta duorum cum dimidio, & parte quadam vnius diei: ſecundus, quo, tardius qui naſcuntur, non viuunt, ſit dierum ducentorum, & quatuor. id quod de pręſcripto tempore ſex detrahit dies. Hæc igitur ſunt de ſeptimeſtri partu difficilia, vt addamus etiam, quum ſeptimeſtres non omnes viuant, quid eius rei ſit cauſa, nondum eſſe ſatis explicatum.

Lib. de princip. C

In Com. ĩ lib. de ſeptim. p. D

De

A *De octimestri partu.* *Cap. VIII.*

SEquitur octauus mensis. de quo hæc in libro de septimestri partu Hippocrates. Est autem octauus mensis, non solum hoc tempus, sed & dies accedunt a septimo, & a nono,& ab ipso anno. Quibus, quid velit, obscurissimum est. Qui hoc mense nascuntur, idem author alibi, vitales esse prorsus negat. & mulieribus, quæ hoc mense peperisse aiunt, adhibendam non esse fidem. eas enim la- *Lib.de princ.*
B tuisse conceptus principium. Contra Aristoteles & posse eos viuere, & in Aegypto viuere affirmat. cui Auicennas subscribens viuere ait in Hispania. In tam dissita tantorum virorum sententia, adhuc quæstio est, vere ne hi sint vitales. &, si non sint, quæ vera sit eius rei causa. In qua quærenda, quum Mathematici quoque laborent, duplicem afferunt rationem, nempe & Solis ad genituræ locum, aspectum; & planetarum singulo mense dominium. Quum .n. aspectus,quibus Sol signiferi signa,& ipsamet signa se se mu *7.histor.cap. 4.* *4.de gen. animal.ad calcem.* *9. de animal. cap. 5.*
C tuo aspiciunt, sint quatuor, sextilis, trinus, quadratus, & qui ex diametro opponitur; quoniam Sol a genituræ loco discedens, non prius fortibus radijs illum illustrat, quã, vbi ad septimum mensem id est, ad oppositum aspectum peruenerit; non prius etiam fœtus maturus est. tunc ergo, quum iam perfectus sit, si prodeat, potest viuere. at, hunc terminum si prætereat, Sole octauũ a genituræ loco signũ ingresso, quia nullus illi cum eo aspectus est; tunc, si prodeat fœtus, non viuit. progrediente autem Sole,& signum nonum
D tenente, aspectus est trinus; & tenente decimum, quadratus,qui efficaces sunt aspectus; propterea, apti, vt in lucem prodeat fœtus. in vndecimo autem mense non putant quẽpiam nasci,quod infirmus sit aspectus,qui est cum proximo signo, genituræ loco. Sed illud etiam inter eos conuenit. fœtum & in vtero,& extra vterum priuato planetarum dominio gubernari. primum enim mensem esse Saturni, secundum Iouis, tertium Martis,quartum Solis, quintum Veneris, sextum Mercurij, septimum Lunæ. octauum dehinc Saturni, nonum Iouis, decimum Martis. Viuere ergo posse fœ-

se fœtum, qui septimo mense prodit, ob Lunę benignitatē, A
& humidam temperiem; non posse qui octauo, ob malefi-
cam vim Saturni frigidi, & sicci, proptereaque vitæ aduer-
si. Viuere sub nono, & decimo, quia sub planetis vitæ non
contrarijs. Sic in vtero vitam hominis censent gubernari.
Aiunt etiam extra vterum primos annos quatuor esse sub
Lunæ dominio, decē sequentes sub Mercurio; octo qui suc-
cedunt sub Venere: nouem deinde qui sequuntur sub Sole;
tum sub Marte quindecim, sub Ioue duodecim. estque an-
nus quinquagesimus octauus. a quo deinceps sub Saturni im B
perio sit, quod reliquum est vitæ. Sed hæc ad rem nostram
nunc non pertinent. quæ autem de fœtu in vtero, etsi extra
Medici negocium est, Mathematico modo res tractare, non
indignum tamen Medico esset, scire an rei respondeant.

De nonimestri, ac decimestri partu dubitationes. Cap. IX.

DE nono etiam mense, quem legitimum humani
partus terminum esse communis est consensus, C
aliquis scrupulus est. Incipit nonus vulgaris post
diem ducentesimum quadragesimum, desinitque in ducen-
tesimum septuagesimum. Lunaris vero principium habet
die ducentesimo trigesimo septimo, & ducentesimo sexa-
gesimo quinto cum dimidio, atque horis fere sex cum di-
Lib. de princip. midia, absoluitur. At illud ab Hippocrate apertissime
scribitur, pręter septimestrem, vitalem fœtum alium non
esse, nisi qui ducentesimum octogesimum attigerit diem:
vt exactus sit septimanarum numerus, nempe quaternæ de- D
cades septimanarum, seu septimus circuitus quadragena-
rius. Id quod si verum est, illud etiam in aperto est, quem
nouimestrem appellamus, esse illi authori decimestrem. A
qua sententia dissentanea illa non est, quæ in libris de septi-
mestri, atque octimestri partu proponitur, eos qui in se-
ptem quadragenarijs circuitibus nascuntur, quos decime-
stres vocamus, ob id maxime educari, quia validissimi sunt.
atque illa, qua in libro de natura pueri scriptum est, fœtus
maiores vires acquirere in vtero decimo mense quādo par-
tus

A tus matri inſtat, vt membranas diſrumpere poſſit. Si vero violentum quid puer patiatur, quemadmodum etiam ſi alimentum a matre prius defecerit, ante ſtatum tempus, & ante decimũ menſem excidere. Quibus verbis id plane confirmatur, legitimum verumq; partus humani tempus, non vt vulgata eſt opinio, nouem eſſe menſium, ſed decem. Cui ſententiæ Auicennas quoque alicubi ſubſcribens, fœtus ait, qui quadrageſimo quinto die formantur, poſt nonaginta moueri, & in lucem edi poſt ducentos ſexaginta. explicat autem rem magis, dicens poſt nouem menſes. ita vt fœtum *9. de animal. lib. 5.*
B decimo iam inchoato menſe naſci, ipſe quoque aperte annuat; de aliorum quidem ſententia; ſed a qua tamen alienum ſe non eſſe oſtendit. Si ergo & nonus, & decimus menſis legitimi, atque ordinarij partus ſunt tempora; quæ tamen illorum menſium pars partui aptior ſit; atq; vtro menſe plures, magiſque vitales naſcantur; quod ſcire plurimum refert, nondum eſt conſtitutum.

De vndecimeſtri partu Hippocratis locus difficillimus.
C *De partu decimi quarti menſis Auicennæ ſententia. Cap. X.*

SEquitur vndecimus menſis, in quo, quum & Hippocrates, & Ariſtoteles naſci fœtum poſſe conſentiant, non tamen ita ne res habeat, apertum eſt. Sed etiam vbi de hoc ipſo agit Hippocrates, adeo ſpinoſum plenumque difficultatis campũ reliquit, facile vt non ſit ab eo extricari. Primum quidem illud aſperũ eſt, quum eos, qui hoc *In lib. de Octimeſtri partu. 7. hiſt. 4.*
D menſe naſcuntur, diebus ducentis octoginta pariter atque decimeſtres ait naſci. quando n. decimus menſis, a quo vndecimi principiũ eſt, trecenteſimo die abſoluitur, profecto, qui ducenteſimo octogeſimo in lucem prodeunt, non vndecimeſtres, ſed decimeſtres ſunt. Quomodo vero fieri id põt, vt qui poſteriori tẽpore naſcuntur, æquali tempore, atque ij, qui prius orti ſunt, naſcantur? Alia ſubdit, quæ quorſum ſcribat, & quid velit, difficillimum eſt ſtatuere. nempe, quod mulieribus plurimis poſt menſtrua purgamenta conce-

conceptus fiunt; & dare his oportet tempus, in quo purgatio contingit, ſaltem dierum trium. quod dies vnus ſit trigeſima menſis pars, & tres dies decima. quod in paucioribus partibus fieri non poſſit, vel menſtruorum ſolutio, vel conceptus. quodque ex his neceſſe ſit pleraſque concipere circa plenilunium, & vltra, vt ducenti octoginta dies ſæpe apprehendere vndecimũ menſem videantur. Hæc inquam, quum Hippocrates ſcribat, quo tendant, quomodo cohæreant, obſcuriſſimum eſt. quæ propterea dignum eſt, vt explicentur. Sane autem, quod ad humani partus tempora attinet, illud eſt reliquum, quod Auicennas decimoquarto etiam menſe vitalem fœtum prodijſſe memoriæ prodidit. Quod, an rei, ac rationi reſpondeat, nondum hactenus eſt diſcuſſum. A B

Tranſitus ad ſuperiorum dubitationum ſolutionem. Septenarij numeri vis in homine. & ab eo vigeſimi, trigeſimi, & quadrageſimi numeri deductio. Cauſæ variæ fœtus formationem, motum, & partum accelerantes, aut retardantes. Cap. XI. C

QVam abdita ſit de conceptus, formationis, motus, & partus humani temporibus veritas, ex ſuperioribus plane conſtat. Id quod ſane admirandum eſt in re tam vulgari, atque ab orbis initio tam frequenti. At vero, vt quod inuolutum eſt, quoad eius fieri poſſit, euoluatur; ponendum illud primum omniũ eſt, procreatricem rerum naturam ſapientiſsimam, quæ conſulto, & certo præſcripto ordine molitur omnia, vt viuentibus rebus quibuſque pro earum vſu varios poſuit, tum efformationis, tum ortus, tum magnitudinis, & durationis terminos; ita vniuerſæ hominis naturæ, & in parentis vtero, & extra vterum; & in integra, & in aduerſa valetudine, eam ſeptenarij numeri, atque eius partium, ac numerorum, qui ex eo conſtant, vim indidiſſe; neceſſaria, vt fere quadã conditione (ſi mentis actiones excipias) vita omnis huius ipſius numeri interuẽtu D

guber-

A gubernetur. Quomodo autem edito iam in lucem homine, ætates per ſeptenarium numerum varie decurrant; & ab alijs, & a nobis priuata tractatione alibi oſtenſum eſt. quomodo etiã in morbis ſeptenarius numerus primas teneat, pleni ſunt medicorũ libri. Ab eodem vero fœtum per omne, quo in vtero eſt tempus, deduci, ac quodammodo gubernari, plane aperit Hippocrates, eandem ſcribens eſſe temporum in conceptu, abortu, & partu rationem, quæ in morbis, ſanitate, & morte; partim ſecundum dies, partim B ſecundum menſes, partim ſecundum dies quadragenarios, partim ſecundum annum. quare, ſicut in morbis maxime potentes ſunt primi, & ſeptimi, ita & in fœtibus, non dies modo, ſed & quadragenarij circuitus, & menſes. Hæc ille. Qui, vt in morbis, ita in fœtibus, maxime potentes primos, & ſeptimos eſſe dicens, omnem de futuro partu cognitionem a conceptus temporis cognitione, & decurſu ab eo in reliquum tempus per ſeptimanas pendere ſignificat. Nempe, vt ex primo die ſeptimanæ primæ initium eſt, ita a ſe-C ptimana illa reliquorum, & menſium, & quadragenariorũ deductio. Quum enim ſeptenarius numerus ex ternario, & quaternario conſtet, ex harum ſeptenarij partiũ, nunc vnius nunc alterius adiectione, & menſes, & quadragenarij conſiſtunt. Si ſeptimanæ vni addas ternarium, fit denarius, omnium numerorum integerrimus, comprȩhendens intra ſe omnes præcedentes numeros, & ex ſe alios omnes vſque in infinitum repetens. hic autem bis repetitus vigenarium parit; repetitus ter trigeſimum, qui menſis eſt; repetitus qua-D ter quadragenarium edit, numerum & ex perfectiſſimis numeris, quaternario ac decimo in ſe ductis conſtitutum, & inſignibus omnibus fœtus motionibus dicatum. Conſtat igitur (quod dicebamus) ſeptenario maxime numero fœtũ regi, eiuſque & conceptum, & formationem, & motum, & partũ, ad illius veluti legem eſſe inſtitutum. Quæ res, quãuis ita habeat, quemadmodum tamen rebus, quȩcunque fiunt, reliquis commune eſt cauſarum, & communiũ, & priuatarum vim ſequi, atque pro earum varietate variari; ita & homini. Sunt autem communes cauſæ cœlum, ac ſolum.

Lib. de ſepti-meſt. par.

cœlum inquam, cum astra, tum ambiens aer: solum autem, A
regio. Illud non obscurum est, quantam vim astra, omnia
quidē, sed præcipue Sol, ac Luna ad inferioris huius orbis
gubernationem conferant: maxime vero, quantum Luna,
varia facie cum septenarij numeri decursu se se nobis osten
tans, quasi rerum nostrarum gubernatrix quædam omnibus
fere humani corporis operibus præsit. Neque id etiā non
apertum est, quomodo qui nobis circumfunditur aer, ac re
gio, vnius, vel stirpis, vel animalis sit altrix, non sit altrix
alterius: quæ vni propitia est, & salubris, alteri sit prorsus
aduersa. Hás igitur causas ad humani quoq; fœtus procrea- B
tionem plurimum conferre arbitrandum est. Præter com-
munes causas sunt & priuatæ. hæ vero & parentum natura,
& ipsius fœtus natura ac conditio. Parentum quidem, tum
patris, cuius semen precipuas, vel materiæ, vel effectricis,
atq; efformatricis causæ partes tenet; tum matris; quæ, vt
stirpes terra, ita vtero semen cōplexa, pro sui natura illud
& suo calore fouet, & sanguine alit: & insita ꝓprietate, for
matricis facultatis operam, non secus atq; in plantarum or
tu terra, ad fœtus absolutionē, atq; vbi absolutus est, egres- C
sum adiuuat. Horū ergo, vt variam esse naturā accidit, ita
& celeritatē, tarditatemve in formatione, ac propterea in
motu, & partu. Quare patris semen, si substantia sit densio-
ri & temperamento calidiori, non secus, atq; lutum in effor
mandis fictilibus, celerius formā suscipit, quam si liquidius,
& frigidius. Ita vero & in matris natura; tum vniuersi cor-
poris, tum vteri. vniuersi quidem, tum manifesta natura,
in qua est & temperamentum, & habitus, & ætas, & consue
tudo, & vires, & viuendi ratio: tum priuata singularis cor- D
poris, vel etiam familię proprietas. Vteri vero, quia qui-
bus vterus humidior est, is etiam minus ad continendum
aptus est; & qui frigidior, sicuti in formando fœtu segnior,
ita in absoluendo. Huc & amplitudo pertinet. quibus enim
vterus angustus est, si forte paulo grandiorem fœtum esse
accidat, vel in angustiori loco suffocari, vel præpropere
exitum sibi quærere necesse est. Hæc ergo, vt singula pro
sui varietate varie ad valetudinē, sic ad generationem, atq;
ad ge-

A ad generati fœtus in vtero absolutionem faciunt. Sed & fœtus quoque ipsi nunc differre, nunc accelerare sui ortum solent. nempe, quibus contigit vel calidius temperamentum, vel habitus facilior dissipatu, vel moles corporis grandior, ob frigidi aeris egestatē, quam in angusto matris vtero conclusos pati necesse est, ob debiti alimenti penuriam, quæ posterioribus illis mensibus accidit; aut si etiam violentā aliquam affectionem patiantur, maturius exitum sibi & quærunt, & faciunt, nisi sint imbecilles. Quum tam multa igitur & tam varia, variare tempus fœtus absolutionis, atque
B ortus possint, & soleant; admirandum quidem non est, veteres non eadem scripsisse hac de re, quæ ad solas mulieres pertinet: quæ, quum non habeant, vel certa congressus cum maribus tempora, vel æque exactum sensum, vel curam, vt quum concipiunt concipere se agnoscant; de exacto, vel formationis, vel motus, vel partus tempore, nihil firmi possunt constituere. id quod quum vetustas agnosceret, Hippocrates, quæ hac ipsa de re dicerentur, esse, & non esse, apertissime pronunciauit. & testatum reliquit Aristoteles *Lib. de alim.* *7. hist. 3.*
C de tempore, & vteri loco, in quo moueri fœtus incipit, scribens, nihil certi licere in his, vt affirmemus; sed hæc & reliqua huiusmodi, vt eo differunt, quo magna ex parte, & magis, minusve accedit, sic accipi. Ita & Galenus, in fœtibus non esse definitum tempus, neque formationis, neque motus, neque partus. Et Auicennas iudicium hisce de rebus non adeo pro certo ferendum, quin variare aliquo modo non possint. Quæ res etsi ita habet, nihil tamen est, quod Sapientum authoritatem imminuat, quorum munus
D fuit, quæ accidunt, ita vt accidunt, memoriæ commendare. imo vero, quæ plerunque eueniunt, ea, vt, in reliquis naturalibus rebus, secundum naturam esse, statuere oportet; sed quæ tamen intra certos præfixosque maximi, ac minimi temporis terminos latitudinem habeant non mediocrem, ad naturæ operum absolutionem: vt in proposita proxime sententia docet Aristoteles.

Conceptus tempus varium. Quomodo conceptus fieri poßit tempore menstruæ purgationis. De huius tempore, & modo Aristotelis loci explicati. Cap. XII. A

HIs positis, si nunc, quæ aduersus veteres disputabantur, expendamus, facto ab ijs exordio, quæ de opportuno conceptus tempore afferebantur; est illud quidem in primis exploratissimum, conceptus alijs etiam extra vterinas purgationes temporibus fieri: & concepisse aliquas, quæ id excretionis genus numquam sint passæ. Quibus id quoq; firmiter (vt putamus) refellitur, quod B absolute pronunciant, menstruo illo sanguine esse opus ad conceptum. id quod rationibus quoque illis, quæ ab alimenti, quali nutriri semen debet, conditionibus; atque ab vteri puritate ad conceptũ necessaria sumebantur, non temere redargutum videtur. Vnum tantum explicandũ est, quod nostram hanc infringere, veterem autem astruere sententiam videtur: quomodo inchoantibus, aut desinentibus menstruis (vt vetusta, & vera obseruatio est) conceptus fiat, C si eo tempore & sordidus est vterus, & in eo impurus ille est sanguis, quem ad nutriendum semen adeo inutilem censemus. Verum hoc aperire difficile non est. Quibus purgationes illæ fiunt, non omnibus continuus est ab initio ad finem, materiæ illius menstruæ effluxus; sed id quod collectum in vicinis vtero partibus erat, ex interuallo expurgatur. eo expurgato, dum noua propellendæ materiæ in ijsdem vtero vicinis vasis fit collectio; si mulier virum adeat; in vacuo tunc, & a sordibus nuper expurgato vtero semen D excipi, ac retineri, consentaneum est rationi. alimentum autem tunc illi primum erit (vt semper esse opinamur) fœmineus ille humor, seu semen: mox vero sanguis a materno corpore in vterũ per eas venas deductus, per quas mos est fœtum nutriri. Etsi igitur vel inchoantibus, vel desinentibus, vel etiã fluentibus medio tempore mensibus conceptum aliquando fieri verum est; non id tamen aut coniecturam nostram frangit; aut menstruorum materiam, ad

A nutriendum in conceptu ſemen, eſſe vel neceſſariam, vel vtilem, probat. De menſtruorũ autem tempore, deque diuerſa, hac de re Ariſtotelis, & Medicorum ſententia, ita ſtatuerem. Quod Ariſtoteles menſes decreſcente Luna fieri ſcribit, ſua fulciri ratione. Quando enim, quo tempore Luna inferiora hæc minus illuſtrat, eo minus concoqui in animalium corporibus alimenta, & magis ſuperfluere inutiles ſucci ſolent; non immerito mulieribus vteri excretio illa, quæ ſuccorum inutilium affluxum ſequitur, in Lunæ B decremento magis fiet, quam in incremento. hoc vero decreſcentis ætatis mulieribus maxime accidit, quæ minus valent calore. At in ætate florentibus ſecus eſt. earum enim calore, Lunæ, quum plena eſt, caliditate adiuto, ferueſcit ſanguis: ex feruore autem tunc maxime fit, vt propultrix corporis facultas ad eorum, quæ ſuperfluunt, excretionem concitetur. ac propterea Luna plena expurgentur. In hac ætate illud etiam non raro ijs, quæ magis ſucculentæ ſunt, accidit; vt bis atque etiam ter in menſe, nempe & noua, & C plena, & ſeneſcente Luna, eadem excretio recurrat. De Ariſtotele igitur, quem obſeruatio quotidiana docere poterat, maxime eſſet admirandum, quomodo muliebrem purgationem decreſcente Luna fieri abſolute pronunciet; niſi id illum notaſſe certum eſſet, quod plerunque accidit. fiunt enim plerunque vterinæ excretiones decreſcente Luna, quod mulieres pleræque ob vitam ocioſiorem minus valẽt calore. Quod autem menſtruam purgationem plurimum alternis tantum menſibus fieri apud eundem authorem D legitur, vt falſum eſt; ita non temere inſignis, & vere magnus philoſophus Albertus, tranſpoſita ſententia legendum exiſtimaſſet, plures ſingulo, paucas tertio quoque menſe purgari, niſi in Ariſtotelica ſententia vox illa συνεχῶς, in Latina verſione, & noſtra, quæ a Gaza eſt, & veteri, neglecta, aliud doceret. nempe licet plures ſingulo, paucas autem tertio quoq; menſe purgari verũ ſit; purgari tamen συνεχῶς, id eſt, confertim, quę ſingulo quoque mẽſe purgantur, perpetuum non eſt. pleræque enim per interualla potius quam confertim purgantur. Recte igitur, non tranſpoſita, ſed

2. de gen. animal. 4.

restituta lectione, paucas singulo, plurimas autem tertio A
quoque mense confertim purgari, legitur. ita vt hoc doceat, purgari confertim singulis mensibus rarum esse: accidere autem id potius ijs, quæ non nisi tertio quoque mense purgantur. scilicet rationi consentaneum est, quæ singulis mensibus expurgantur, non ea sanguinis copia scatere, quæ euacuationem confertim factam promoueat. euacuationes enim largas impetuosasque, quales ea vox, confertim, significat, facit insignis copia humorum, propultricem facultatem irritans, quæ copia esse non potest in ijs, quæ singulis mensibus expurgantur. esse vero potest in alijs, in qui- B
bus euacuatio in tertium mensem seruatur. Ita Aristotelis sententiam intelligimus. Quod enim Plinius, quasi hūc locum transferens, omnes ait mulieres tricenis diebus purgari, sed largius trimestri spacio; ita, vt primo sonant verba, acceptū, non respondet quotidianæ obseruationi, nempe, quæ singulis mensibus purgantur, si bene sanæ sint, parum dissimili purgatione purgantur.

Lib. 7. histor. cap. 15.

De conceptu sex, aut septem dierum Hippocratis, & Pythagoræ sententia expenditur. Cap. XIII. C

ACcedamus ad conceptum. In quo, quum septimam diem vix attingeret (vt alicubi scribitur) aliquando conspecta fuisse membra omnia; & mirum magis, quam ex naturæ ordine fuisse, & hyperbolice ab eius rei authore scriptum ego quidem dixerim, vt intelligamus delineamentis quibusdam rudibus partes singulas, suis locis eo etiam exiguo tempore esse indicatas. D
Probabilius ergo, quæ hic de die septimo, Aristoteles scribit de quadragesimo: & moderatior fuit alia, illa de fœtu sextæ diei, relatio. Quem diem, quod Pythagoras illius conceptui dicatum velit, qui septimo mense sit nasciturus; illis autem septimum, qui serius nascantur; a ratione quidem alienum non est, quæ suadet in illius fabricæ principijs, quę celerius tota perficitur, minus temporis absumi, quam in illius, quæ serius; Hippocrati tamen consentaneum

Lib. de princip.

7. hist. cap. 3. Lib. de natura pueri.

A taneum non est. qui septimestris fœtus causam censet præproperum ipsius conatum ad exeundum, ob alimenti egestatem, aut vteri angustiam. qui alioqui tardius proditurus esset in lucem.

De conceptu eorum, qui septimo mense nascuntur, Hippocratis, & Plinij conciliatio. Cap. XIV.

DE illorum autem conceptu, qui septimo mense ori-
B untur, fiatne in plenilunio, an in interlunio, quod erat controuersum; esset quidem dissidium hoc, diligenti euentus quotidiani obseruatione dirimendum. Id autem dictat ratio, sicuti fœtum, qui præpropere exit, maiori, quam qui serius, robore esse præditum; robur autem accedere maius ex Lunę calore, quum plena est, quam alias; ita par esse, vt septimestris fœtus, qui vitalis est, Luna potius plena conceptus fuerit, quam silente. Contra etiam, quum in interlunio Luna Solis lumine destituta exigu-
C um nobis calorem impertiatur, si quis eo tempore conceptus fiat; quod illi non ita firma principia sunt, non etiam æque celeriter, ac perfecte in vtero æquali tempore adolescere posse verisimile est. An igitur septimestrem, qui vitalis est, Luna plena conceptum Hippocrates recte statuit, non illum tamen, alio etiam tempore concipi posse negãs: Plinij autẽ sentẽtia, de septimestri partu non vitali vera est?

D *De tempore formationis fœtus, varietatis, quæ apud apud veteres, excusatio. Pythagoricæ inuentionis de septimestris fœtus formatione, refutatio. Censura eorum, quæ de priuatis formationis gradibus alij scripsere. Cap. XV.*

PRoxima erat de fœtus formatione disputatio. De cuius tempore, quum varietatis incusantur veteres; scire licet, non de eadem illos semper, sed nunc de rudi, nunc de perfectiori egisse formatione. Membrorum,

& partium, quæ ad vitam necessariȩ sunt, discretionem, seu A
Hipp. lib. de nat. pueri. articulationem (quod alicubi scribitur) in fœmella ad diem quadragesimum secundum conspici. in masculo ad trigesimum, de imperfecta formatione est: hoc autem, quum for-
Ibidem. matio fit celerrime, non autem semper. at augescunt deinceps membrorum species, ossa duriora fiunt, & excauātur a spiritu, ac ramificantur; & digiti manuum, ac pedum inter se disparantur, & in ipsis extremitatibus vngues nascuntur, & cum vnguibus capilli in capite radicantur. & hoc tempus masculo est mensiū trium, fœmellæ vero, quatuor. Hæc vero de perfecta sunt formatione. ita vt de imperfe- B
cta vno agere loco, alio de perfecta, non sit controuersum.
Lib. de elimē. Iā vero, quæ alibi ex varijs proponūtur, quando tanta est à rudi ad absolutā formationē tēporis latitudo; neq; inter se contraria esse, neq; falso allata; sed ex variorū abortuū obseruatione, & depræhensa, & memoriæ tradita illa quoque fuisse, existimandū. Illud tamen aliquid habet suspicionis,
7. hist. cap. 3. quod scripsit Aristoteles, maris formationē esse ad primum dierum quadragenariū; fœminæ vero articulationem, non nisi quarto mense apparere. Nempe, quod ait de quadrage C
simo die, de rudi formatione intelligere necesse est: at quod de fœminæ in quarto mense articulatione, de perfecta. ita vt ὁμωνυμῶς de formatione tam proximis verbis fiat sermo. id quod a tanti viri dignitate, quum plurimum absit, incidisse in ea sententia errorem arbitrandum est. Quæ dehinc de progressu in formatione adeo membratim proponūtur, in eo quod Pythagoras de senarij numeri in septimestris fœtus formatione comminiscitur, primo illud certum est, in vteri gestatione nihil tale, vel octauo, vel nono, vel duode D
cimo post primum senarium diem hactenus esse obseruatum, quo earum consonantiarum haberi a formatrice natura rationem doceamur, quas ille ad trigesimi quinti constitutionem accersit. tum vero id plane affirmare licet, si vera obseruatio est Hippocratis, vitales non esse fœtus, qui quadragenario pari nascuntur; importune postremos illos decem ducentesimi decimi, qui ex trigesimo sexies repetito prodit, tanquam septimestris fœtus partui dicatos celebrari.

A lebrari. quum quadragenarius quintus ducentesimo absol- uatur. Reliqua vero, etsi ex coniectura potius, quam ex ipsamet re ducta esse pro certo arbitramur; nulli tamen merito licet, vel ea vanitatis insimulare, nisi qui priuata totidem abortuum inspectione, non ita rem habere, vt scribunt, depræhẽderit: vel eos, qui ad certos numeros singulos formationis gradus referre nituntur propterea damnari, quia non prorsus certi ratique naturæ motus illi, quos dicunt, se se prodant. Sed illa quidem, vt quæ non sine probabili con-
B iectura, & ratione dicta sint, decet non contemnere; eorum vero authores, est vt plurimũ commendemus; quibus tam abditos naturæ aditus penetrare licuerit, & libuerit posteris communicare. Illud tamen in ijs duriusculum est, quod quod fœtum aiunt, qui trigesimum quintum, aut quadragesimum diem, aut quartum mensem attigerit, non excedere formicæ maiusculæ, aut apis, aut vermiculi magnitudinem. Quomodo enim in tam parua mole eam membrorum omnium delineationem spectemus, quam spectari aiunt? Et il-
C lud etiam probabile non est, quod in Macrobio legitur, mares serius, quam fœminas eadem conspici magnitudine. Ea vero ridicula sunt, quæ de partium fœtus formatione per menses, perque planetarum operam postremo afferebãtur, ab eo commenta, qui ignarus formatricem vim nunquam ociosam, perpetuo circa partes corporis omnes, vel minimas effingendas sollicite versari, eam existimarit, quemadmodum in externis fabricis artifices, vni rei intentam, cogi aliud, atque aliud opus infectum relinquere, quousque
D priora sint absoluta. Discriminantur enim (quod alicubi scribit Hippocrates) partes & augescunt simul omnes: neque prius alteræ alteris, neque posterius. *1. de dieta.*

Dubitationum de fœtus motu solutio. *Cap. XVI.*

IN ea vero, quæ de motu erat, quæstione, vniuersim quidem mares celerius, quam fœminas in vtero moueri, vt etiam formari, perpetuum est. Si aliquando secus accidat, sequitur id priuatam huius, atque huius vteri vim in for-

in formando fœmineo fœtu efficaciorem. neque vniuersalem frangit obseruationem. Quod autem de certi motus tempore alij alia statuant, animaduertere quidem primum oportet, non semper de vno fœtus motu fuisse scriptoribus verba. tum vero non carere mendis illorum monumenta, quæ ad nos per tot annorum seriem, per tot manus descripta peruenere. prætereaque naturalium rerum terminos esse non sine temporis latitudine accipiendos. Quamobrem, sicuti in formatione varij perfectionis sunt gradus, ita & in motu: qui quum sit proprium animalium accidens, sensim dum illa effinguntur, euidentior fit, ac valentior. In primo igitur formationis gradu, qui est fere ad primum quadragenarium circuitum, motus aliquis, licet obscurus, in fœtu, ab eo obseruabitur, qui illius, quæ vtero gerit, supinæ, silentis, & quiescentis vmbilico manum admouebit. quasi.n. arachnę cuiusdam tacite subrepentis illi erit sensus. Quod igitur ab Aristotele fœtum quadragesimo die moueri adnotatur, de obscuro hoc motu verum est, non in maribus tantum, sed etiam fere, aut paulo post, in fœmellis. Euidentior ille est, qui duplicato formationis tempore percipitur. de quo in libris de vulgaribus morbis, atque de alimento. de quo etiam ab Aristotele intelligi certum est, quũ fœminam nonagesimo die moueri asserit; ex libris quidem Hippocratis desumptum, at mendose in eius philosophi libris nobis traditum ab eo, quem erosa illius scripta, ita vt erant manca, præstabat fideliter posteris communicare potius, quam resarcire. Nempe de motu fœtus in maribus obscuro agere, continuataque oratione de motu in fœminis manifesto, loqui, alienum est ab Aristotelis diligentia. Vnde autem id pendeat, quod duplicatum formationis tẽpus manifesti illius motus sit principium, qui scire desiderat, reuocare in mentem oportet, esse hæc parentis rerum naturæ opera, quæ rebus omnibus pro arbitrio, proque impenetrabili, atque homini ignoto consilio, pro singularum natura, & formationis, & ortus, & durationis terminos, finesque præscripsit. In quorum finium obseruatione, perpetuo insidere animo debet, tantam vim, ad acceleranda, retardandaque

A daque naturæ opera, causas & communes, ac priuatas habere; sæpe vt incerti minimeq; firmi euentus imaginem præbeant in ijs naturæ legibus, quæ tamen intra maximi, minimique latitudinem certissimæ sunt. Quod igitur de duplicati, triplicatique numeri obseruatione obijcitur, & ex ea regula disputatur, quia trigesimo die ex Hippocrate, maris formatio est; sic oportere, vt die sexagesimo fiat motus; partus autem centesimo octogesimo, contra ipsius met decretum, addentis dies duos, atque horas quindecim. hoc inquam Hippocrati non aduersatur. a quo trigesimū ita pro-
B poni certum est, vt saltem in sequentis etiam diei dimidium differri possit, & soleat. ita vt ad propositam legem, in centesimum, & octogesimum tertiū diem partus incidat. Quod autem ea neglecta regula, quibus formatio fuerit die quadragesimo quinto, motum fuisse in septuagesimo sexto, aliqui dixerint, quem accedere ad nonagesimum oportebat; vt eos neq; probat, neque improbat Hippocrates, sed, quod & alij quorum meminit, assererent, esse, & non esse pronunciat; ita nobis parui eorum æstimanda est authoritas. De
C Aristotele (quod dehinc obijcitur) quum quadragesimum quintum maris motui tribuit, vt de primo, atque obscuro motu intellexisse illum certum est; ita ex eo non est pariendi tempus deducendum. In supputatione autem, quæ postremo conuerso ordine proponitur a partu ad formationē; non dissimiliter in eundem terminum recidere formationē accidit, atque in progressu a formatione ad partum; si formationi celeri partum quoque celerem; & si tardæ tardum comparaueris.

D

Cur mulieri non vnum sit pariendi tempus. Cap. XVII.

AD partum nunc transeundum. de quo, quum difficilia multa proposita sint, vt singula seorsum expendamus; quod quidem mulieri inter animalia reliqua non vnum sit pariendi tempus, certum est. quid autem huius priuilegij sit causa, obscurum. An igitur natura, quæ hominis propagationi consulit, non vnū illi dedit tem

pus,

pus, vt viuere possit, etiam si vel tardius exeat? At si hæc causa ad varianda partus tempora impellere naturam potuit, cur non etiam datum est mulieri, vt, quemadmodum in animalium multorum genere, & in vno quouis cum mare congressu, concipiat; & minori cum periculo pariat; & numerosiorem etiam fœtum partu vno edat? Sed, neque conditricis naturæ propositum assequi homini licet. neque tamen euidentem afferre huius quæstionis causam, fortasse difficile est. Namque, siue alimentorum, siue reliquarum causarum, quæ homini & necessario, & non necessario occurrũt, vsum; atque si viuendi eius rationem spectemus; in his homo, ac præsertim mulier, & sibi indulgentior est, & sæpius quam vllum aliud animal labitur; in animi autem perturbationibus quam maxime: quibus, quum reliqua animalia non nisi præsente obiecto afficiantur, nunquam sine aliqua perturbatione homo est; in Venere etiam plurimũ, in quam, non tam, vt reliqua, naturæ, quam sensuum impetu frequens ruit. Hinc autem sanitatis inconstantia, ac morborum varietas. hinc fœtui quoque & in formatione varietas, & post formationem varius dum in vtero est, & status, & nutritio: ac pro statu nutritioneque maturitas, aut tarditas ad exeundum. Nempe, quemadmodum, quorum celerior formatio est, ij celerius quoque & mouentur, & in lucem exeunt; ita etiam si validus sit fœtus, vbi perfectus est, exitum sibi parit; differt, si imbecillus. atque si parcius alimentum habeat, citius; si vberius, serius egressum quærit. Hæc igitur, cur non æquali tempore fœtus omnis prodeat, ratio est. Sed adde, quod, sicuti non idem est mulierum omnium in menstruis purgationibus modus; sed pro temperamenti, habitus, victus rationis, & status varietate, aliæ alijs largius, aut parcius expurgantur; ita quum vtero gerunt, aliæ alijs copiosius, aut parcius fœtui suggerunt alimentum. ex quo fit, vt fœtus nunc celerius, nũc serius ad exitum sibi viã procuret.

Vnde

A

Vnde nam mensium enumeratio inchoanda sit, a conceptune, an a menstruis. Cap. XVIII.

PRoxima erat quæstio de temporis obseruatione. de qua, quum Hippocrates dubium reliquerit, vnde nam mensium enumeratio inchoanda sit, a conceptu ne, an a menstruis; incerta omnia videntur. Ceterum quid statuendum sit, res ipsa docet. Quærimus tempus a conceptu ad partũ. a conceptu igitur inchoanda enumeratio est, si tempus, quo ille factus sit, non lateat: Vbi lateat, a menstruis inchoandum, quod conceptu facto, illa mos est cohiberi. Horam autem conceptus non raro tenent peritæ mulieres, ex signis non vno loco ab Hippocrate relatis. si genitura a congressu viri neq; statim, neque postea effluat. si accidat, vt aliquando solet, horror, calor, dentium stridor, conuulsionis imago quædam in articulis, & corpore toto; prætereaque in vtero segnities. Proponit igitur disiunctam sententiam Hippocrates, dicens (aut a menstruis numerandi sunt nouẽ menses, aut a conceptu) non quia a conceptu semper esse inchoandam enumerationem dubitet; verum, vt admoneat menstrua quoq; esse obseruanda. si enim præter consuetudinem supprimantur, neque febre, neque rigore superueniente, incidentibus autem cibi fastidijs, indicia sunt conceptus iam facti post, ac prope id tempus, quo postremo menses eruperant.

B

C

D

Qui mensis in disputatione de fœtu sumendus sit. & quomodo septimanæ cum mensibus, quadragenarijsque circuitibus concurrant. Cap. XIX.

EXplicatam nunc de numerandi principio quæstionẽ alia proxime excipiebat de mensibus, quos, quum non eiusdem generis semper Hippocrates, atque alij sumant; incerta redduntur de enumeratione omnia. & alia, quomodo dies, septimanæ, mensis, & quadragenarij circuitus conuenire inter se possint. quos omnes magnifa-

cere

cere Hippocratem constat. De priori igitur vt dicamus, A
quum menses alij a solis, alij a lunæ motu nomen habeant,
profecto, sicuti a sole, pro eius ad nos accessu & recessu,
rerum vniuersim generatio est & corruptio; atq;, vt vulgatum
est, sol, & homo hominem gignit; ita etiam rationi
consentit, pendere ab eo quæcunq; ad rerum perfectionem
pertinẽt: pertinet autẽ in proposita materia formatio, motus,
& partus. solaris igitur mensis obseruandus. Et rursum
etiam, quum luna & nobis propinquior sit omnibus,
& celerrime omnium vniuersi orbis lõgitudinem metiatur,
duodecies, aliquando etiã terdecies, annuo spacio, quo sol B
semel tantum, signiferum orbem percurrens; non immerito
in harum rerum vita, & ipsa quoque Luna, & ab ea denominatus
mensis peculiarẽ habere vim existimatur. Non
temere igitur vtrunque, & solarem, & lunarem mensem
notandum censent. In hoc tamen aliquid est controuersiæ,
an in toto gestationis vteri tempore vtriusque decursus,
æque sit obseruandus. probabile enim videtur non absolute
vnum, atque alterum in toto eo tempore spectandum, sed
in generatione quidem, ac formatione solarem, quia sol C
præest generationi; in motu aũt, ac partu, lunarem, quia
luna rerum motioni præfecta est. Ceterum, aliud alia ratio
suadet. Quum enim non solus sol, sed & luna quoque,
imo & astra omnia ad rerum generationem principia sint,
(quod Aristoteles quoque docet) & quod ad dandam rebus
formã pertinet, ad ea quoq; pertineat, quæ consequuntur
formã; ꝑfecto ab vtrisq; coniunctim pẽdet hominis, & generatio,
& formatio, & motus, & partus. vterq; igitur mẽsis
toto gestationis vteri tempore, & eadem ratione obseruã- D
dus. Verum alius hoc loco scrupulus est. Quũ.n. æquale non
sit solaris, & lunaris mensis tempus, prætereaque lunaris
varia sit acceptio, est enim alius peragrationis, vt vocant;
alius apparitionis, alius coniunctionis, alius qui inter mensem
peragrationis & apparitionis ex Galeni doctrina medius
est; qui nam lunaris mensis obseruandus sit; & quomodo
vtrunque & solarem, qui longior est, & lunarem, qui
breuior, enumerando sequi vna in re possimus, non facile est
consti-

A constituere. Alij enim, qui in decretorijs diebus non alium mensem, quam peragrationis sequendũ censent, eum quoque hic proponunt, quod partus crisis sit quædam. Alij illum præferunt, quo luna lumen nobis communicat. quod extra id tempus iuuare nihil nobis possit. Alij mensem coniunctionis, ad cuius progressum insignes hisce in rebus obseruantur mutationes. Alij etiam medicum sequi malunt, ad cuius obseruationem vigesimum diem criticum esse Galenus docet. Quum igitur alij aliud velint, quid statuendũ
B sit, e re ipsa quærendum est. Agunt cœlestia corpora in inferiorem hunc orbem motu, & lumine. Si in luna spectemus motum, quæ signiferum orbem diebus fere vigintiseptem, & horis octo decurrit; non ea tamen ante vigesimum nonum diem, atque horas duodecim soli coniungitur. Si lumen, quum id a sole recipiat, licet semper recipiat, in coniunctione tamen, ac fere per triduum (quo tempore superior ipsius pars illustratur, quam hemisphærium superius vocant, inferior autem non illustratur) nobis non
C lucet: sensim autem digrediens a sole, apparere nobis incipit; ita vt, quum illi opposita est, tota lucida appareat: ex quo dehinc minus in dies nobis apparens ad nouam redit coniunctionem. In hac igitur varietate, sicuti lunam ex motu, pro varia signi in quo reperitur, natura, & pro calore vario, tum reliqua inferiora, tum hominem varie afficere, in morbisque, atque in vteri gestatione labores, ac status inferre varios, sensus docet; ita in lunaris mensis obseruatione, non tempus tantum peragrationis, aut appari-
D tionis; sed totum ab vno ad alterum cum sole congressum spectari oportere facile existimamus. Alioqui, si quo tempore nobis obscura est, in nos lumine non agit per se; ab ea tamen malum nobis accidere per accidens, dum benefico eius calore non fouemur, non secus, atque nauis fracturam nauita absente, verũ est. Sic quidem, sicuti ad nouam, aut plenam lunam solent menstruæ purgationes repetere, atq; ad vnius, aut alterius aspectus vicissitudinem maxime conceptus fieri; ita in fœtus quoque formatione, motu, & partu, pro lunæ in toto hoc tempore, quod coniunctionis mẽ-

sem

ſem vocant, ſtatu vario, naturam varie moueri obſeruatur. A
De lunaris igitur menſis acceptione, ſtatuere licebit, non temere in fœtus, imo & valetudinis vniuerſim progreſſu in homine, eum, quem coniunctionis vocant, obſeruari. ob id vero etiam maxime, quod in hoc ceteri quoque lunares menſes compræhenduntur. At quomodo (quod deinceps dubium erat) lunaris ſimul, & ſolaris menſis concurrere numerando poſſint, quum alter altero ſit longior? Primum quidem, licet veteribus menſium ſit ex diebus triginta constantium mentio, nulla tamen eſt ſolaris aut lunaris menſis commemoratio; ſi quis dicat, eiuſcemodi dies poſſe intelligi, quales ex lunari coniunctionis menſe in triginta æquales partes diuiſo prodeunt (ſunt vero ij ſinguli horarum viginti trium, & minutorum quadraginta quatuor) ſedabit ille quidem facile propoſitam hoc loco quæſtionem. Verum, quia de communi more ſumptos eſſe illis dies probabile eſt, pro toto.ſ.eo temporis ſpacio, quo primum mobile ſecũ ſolem, & reliqua aſtra deferens ab oriente in orientem regreditur, quo eſt horarum viginti quatuor integrarum; aliud videtur ſtatuendum. Reuocandum igitur in memoriam eſt, naturæ effectus ita certa habere tempora quibus abſoluantur, vt non in puncto, ſed in ſua quadam temporis latitudine prodeant. Eſt quidem igitur lunari menſe ſuperior, & vulgaris, qui illo longior eſt horis duodecim; & ſolaris, qui horis duodecim horas addit octo cum dimidia; ſed paruum hoc temporis diſcrimen, in humani fœtus fabrica, quæ diuturniori eget tempore, vt ad ſummũ culmen ducatur; parum, aut nihil obſeruatur. Quomodo autem (quod præterea poſitum erat in quæſtione) ſeptimanæ cum menſibus, & quadragenarijs circuitibus numerando conueniant, iam antea explicauimus. ex ſeptenario enim reliqua omnia prodire oſtendimus. quod propterea non eſt, vt hoc loco repetamus.

(The marginal letters B, C, D stand beside the lines "ſtantium mentio…", "tem regreditur…", "ſummũ culmen ducatur…".)

Quan

A

Quomodo totum gestationis vteri tempus deducatur per menses, per dies, & quadragenarios circuitus. *Cap. XX.*

SEquitur vt ad ea, quæ de priuatis partus terminis dubitationem faciebant, accedamus. Et quia in deducendo partus tempore, nunc menses, nunc quadragenarij circuitus veniunt, prius quomodo totum gestationis in vtero tempus per hos sigillatim distinguatur, videamus.
B Mensis igitur lunaris coniunctionis ex diebus constat viginti nouem cum dimidio. Et primus mensis a conceptu incipit, desinit in diem vigesimum nonum cum dimidio. Post hunc secundus inchoat, desinitque in quinquagesimum nonum. Tertij principium est dies sexagesimus, finis octogesimus octauus cum dimidio. Hinc quartus est mensis terminum habens diem centesimum decimum octauum. Ab hoc incipit quintus, qui desinit in centesimum quadragesimum septimum cum dimidio. A quo principium est sexti, desi-
C nentis in centesimum septuagesimum septimum. Die centesimo septuagesimo octauo initiũ est septimi. cuius finis est ducentesimus sextus cum dimidio. Post hunc est octauus terminum habens ducentesimo trigesimo sexto. Die ducentesimo trigesimo septimo incipit nonus, qui desinit ducentesimo sexagesimo quinto cum dimidio. Atque hinc mensis decimus succedit absoluendus die ducentesimo nonagesimo quinto. A quo si prorogetur partus, additis eodem ordine diebus viginti nouem cum dimidio, totum tē-
D pus erit dierum trecentum viginti quatuor cum dimidio, & mensium vndecim. Ita totum prægnationis tempus secundũ menses diuiditur. Secatur autem id etiam secundũ quadragenarios circuitus. Ac primũ primus circuitus totũ primũ mēsem, prætereaq; dies decē cum dimidio habet de secũdo. Secũdus incipit post diem decimũ, ac dimidiũ mensis secundi, de ipso habens dies decem, & nouem, prætereaq; a tertio assumens diem vnum supra viginti. suntque hactenus dies octoginta. Tertius circuitus principium habet post

vigesimum primum diem mensis tertij, ab eo sumens dies octo cum dimidio, prætereaque totum quartum mensem, ac dies duos quinti. sunt dies centum viginti. Quartus incipit die tertio quinti mensis, de eo habens dies viginti septem cum dimidio, prætereaque de sexto duodecim cum dimidio. sunt hactenus dies centum sexaginta. Sequitur quintus circuitus, incipiens post diem duodecimum cum dimidio sexti mensis, ab eo habens decem & septem cum dimidio; a septimo autem viginti duos cum dimidio. suntque dies ducenti. Ab hoc sextus est circuitus, a septimo mense dies habens septem, prætereaque totum octauum, & a nono dies tres cum dimidio. suntque hactenus dies ducẽti quadraginta. Succedit circuitus septimus de nono mense assumens dies viginti sex, de decimo quatuordecim. sunt dies ducenti octoginta. Hinc octauus est, incipiens die decimi mensis decimoquinto, ab eo assumens dies quindecim cum dimidio; ab vndecimo vero, qui sequitur, dies viginti quatuor cũ dimidio. suntq; hactenus dies trecẽti, & viginti.

Cur ante septimum mensem nati non viuant.
Cap. XXI.

AGe nunc, quæ de priuatis partus terminis dubitationem afferebant, expendamus. Quod ante mensem septimum nati non viuant, præter communem obseruationem non deest ratio, quæ suadeat. Namq; ante id tempus, nondum perfectus esse fœtus potest. quando, si a conceptu formatio ad trigesimum diem fiat, erit motus ad sexagesimũ; perfectio non prius quam ad centesimũ octogesimũ. qui dies sexti vulgaris mẽsis est postremus. quũ vero hic breuissimus sit & formationis, & motus, & perfectionis in homine terminus, maxima tamen ex parte trigesimum secundum, ac posteriores etiam dies aliquot formatio attingit, vt propterea motũ quoq;, & partum prorogari necesse sit. Quia igitur fœtus ante septimum mensem perfectus non est, iure etiam non viuit. Accedat id quoq;, quod si in hoc statu, quo nondum est perfectus, forte, vel ob refrige-

A frigerij, vel ob alimenti indigentiam inuenire ſibi exitum cogatur, quum minus valeat viribus, in vteri oris anguſtijs depræhenſus, vt vel ſuffocetur, vel ex compreſſione ſecundum exteriores interioreſque corporis partes varias, ſummopere lædatur, neceſſe eſt. quod eſt vitæ aduerſum. Adiungitur huic deinceps noua viuendi ratio, liberiori aere, atque inſueto alimento, & labore trahendi alimentum ex vberibus: quæ omnia vitæ vſque adeo ſunt incommoda, illum vt extingui nihil ſit mirum. Cur igitur ante ſeptimum menſem vitales non ſint partus, apparet. Quod ſi, qui ſexto
B menſe ortus erat, eum vixiſſe prodit Auicennas; de vulgari menſe id dictum eſt. de quo agere illius mos eſt. ſex autem vulgares menſes cum ſeptem lunaribus aliquando concurrere apertum eſt, nempe eo anno quem emboliſmũ vocant. tunc enim anno vulgari dimidio ſex nouilunia, & ſeptem plenilunia; aut plenilunia ſex, & nouilunia ſeptem accidunt. erit igitur partus, primo quidem aſpectu ſemeſtris; vere tamen ſeptimeſtris, qui ſeptimi lunaris circuitus particeps eſt. His ita poſitis, ſi qui ante ſeptimum menſem
C naſcuntur, diutius viuere non poſſe certum eſt, eſt ne illis tamen certum aliquod viuendi tempus? Non deſunt, qui prorogari illis vitam non poſſe vltra diem ſeptimum, aſſerant. De qua tamen re, nihil certi afferri poſſe is intelliget, qui non omnium eandem perfectionem, eaſdemque vires, vel interiorum exteriorumque cauſarum robur non idem eſſe animaduertet.

D *Cur nati ante annum dimidium non viuant. Hippocratis ſenteneia explicatur. Cap. XXII.*

DE ſeptimeſtri autem partu, cur eius legitimum tẽpus Hippocrates eſſe dicat dierum centum octoginta duorum cum dimidio, & accedente præterea diei particula; alij aliud, atque aliud ſtatuant; par eſt nunc vt inquiramus. Quando igitur fœtus, qui ſeptimeſtris eſſe debet, ſeptimũ attingere menſem debet; ſeptimi quidem lunaris menſis principium eſt dies centeſimus ſeptua-

gesimus octauus. quo die & sequentibus tribus, qui nasci- A
tur, is vtique septimo mense nascitur. At obseruatione lon
ga perspectum est non viuere, nisi, qui dimidium exacte an-
num, id est centum & octoginta duos dies cum horis quin-
decim expleri. Proponit hoc igitur Hippocrates. non il-
le quidem aperte huius rei causam reddens; sed eam tamen
dimidij anni mentione tacite innuens. quæ non alia est, quã
quod nondum perfectus est fœtus. perficitur autem vbi di-
midium exacte annum attigerit, quod Sol, vt generationis,
ita & perfectionis author, eo tempore genituræ locum, cui
e diametro opponitur, rectis, ac fortibus radijs illustrat. Et B
illud quidem negare non licet, dimidiũ exacte annum non
semper esse dierum centum, & octoginta duorum cum di-
midio, & aliqua diei particula; quum Sol in signifero orbe
non æqualiter moueatur; sed, qui ab initio libræ ad Arie-
tem in centesimo, & octogesimo primo, aut secundo die
mouetur, ab initio tamen Arietis ad initium libræ non ci-
tius perueniat, quam centum, & octoginta quatuor diebus.
Verum neque diligentior illa Astronomię obseruationum
ratio medico necessaria est. neque humani fœtus formatio, C
motus, perfectio, partus, vt supra quoq; dictum est, in exi-
guo temporis consistunt puncto. Illud tamen verũ est, non
esse vitalem septimestrẽ fœtum, qui dimidium exacte annũ
non attigerit. cuius gratia hæc ab Hippocrate scribuntur.

An septimestris fœtus attingere debeat septem nouilunia, & plenilunia. Quousque vitale in eo tempus extendatur. An fœmina septimo mense orta sit vitalis. Cap. XXIII.

D

His positis, ad exactam septimestris partus cogni-
tionem duo scitu necessaria sunt, quæ prætermit-
tit Hippocrates. Alterum est. quando, vt septi-
mestris fœtus vitalis sit, attingere septimum mensem de-
bet; mensis autem duos Lunæ aspectus compræhendit, no-
uilunium, & plenilunium; an, quo viuat fœtus, vtrunque
horum requiratur in mense omni, an alterum tantum atti-
gisse sit satis. atque, si carere eorum altero possit, intersit
ne vno

A ne vno magis carere, quam altero. Alterum, quod ſcire maxime oportet, eſt, quouſq; vitale tempus extendatur. Itaque, quum menſis initium ſit a congreſſu Lunæ cum Sole; neque aliud ſit menſis, quam dierum decurſus ab vno congreſſu ad alium, propterea que dies menſis omnes, ad illum ipſum congreſſum tanquam ad principium referantur; exiſtimarit facile aliquis, legitimum partum ſemper ſeptem nouilunia requirere. Rem tamen ſecus habere propoſita ab Hippocrate de dimidio anno obſeruatio pla-
B ne docet. in qua, quum primus menſis a plenilunio principium habeat, totus autem reliquorum menſium decurſus in plenilunium deſinat; fœtus plenilunia quidem ſeptem; ſed nouilunia ſex tantum habet. Vt igitur, vbi circa plenilunium fit conceptus, ad legitimum, ac vitalem partum, qui ſeptimo menſe fieri debet, plenilunium poſtremum neceſſario requiritur; ita vbi ad nouilunium fit conceptus, nouilunium quidem ſeptimum neceſſarium eſt, at non ſeptimum plenilunium. quanquam, ſi prorogetur
C partus, non modo plenilunium quoque ſeptimum attingere; ſed etiam ad octaui vſque nouilunij confinia tranſcendere licebit. Sed iam quod ſecundo erat propoſitum, attingimus: quod erat, quouſque ſeptimeſtris partus vitalis terminus extendatur. De quo, quum in conſcripto de hoc partu libello nihil ſtatuatur, author libri de principijs, dies ducentum & decem, abſolute quærat; Galenus autem ducentum, & quatuor; res eſt plena dubitationis. Quando enim ſeptimi lunaris menſis finis dies eſt ducenteſimus ſex-
D tus, additis præterea horis aliquot; vulgaris autem ducenteſimus decimus; ſi quidē menſis tantum ſequamur rationē, rationi conſentaneum eſt, vt non modo præter Galeni ſententiam ducenteſimus quintus, atq; etiam ſextus; ſed præterea, cum authore libri de principijs, atque Auicenna, reliqui vſque ad ducentos denos, ſint vitales. At ſi præter menſium obſeruationem quadragenariorum quoque circuituum habenda eſt ratio, quam maxime habendam Hippocratis mens eſt: atque, ſi qui pari quadragenario naſcuntur, vt eius decretum eſt, non ſunt vitales; profecto quotquot

vltra ducentesimum diem nascentur, mali exitus fore fatendum est. ita vt vitales septimestris partus dies, duodeuiginti cum horis nouem, & non plures esse sit statuendum. Erraruntne igitur author libri de principijs, Galenus, & Auicennas? An vere septimestres maxima ex parte apti non sunt vt viuant, nisi qui a centesimo octogesimo secundo cum dimidio vsque ad ducentesimum nascuntur: qui vero in reliquis in lucem exeunt, licet longe rarius viuant, proponuntur tamen illi quoque, vt intelligamus, qui illos excedunt, extra omne viuendi spem esse: qua qui intra illos terminos prodeunt, non prorsus sint destituti? Ita quidem videtur. Quamobrem, quamuis in libro de principijs, numerorum ad Pythagoricam disciplinam potius quam Lunæ circuituũ ratio habeatur; non reijciendos tamẽ posteriores illos dies dixerim; quando eos non negligit Auicennas: quando etiã consentit ratio, vt quum Lunæ vis sit a Sole, atq; a Sole sit fœtus generatio, ac perfectio, vulgaris mensis inter solarẽ, & lunarem medius non negligatur. Vnum de septimestri fœtu superest dignum scitu. viuerene possit fœmina, quæ septimo mense in lucem prodeat. Affirmant enim mulieres, septimestres aliquas vixisse. Ceterum, si eas, quæ ex imbecilliori, ac frigidiori semine gignuntur, non ante quadragesimum secundum diem efformari verum est; non etiã moueri illæ possint ante quartum supra quadragesimum. quare, neque ante ducentesimum quinquagesimum secundum nasci. qui longo tractu septimestris terminũ transcendit. Falli ergo eas probabile est, quæ fœminas septimo mense prodijsse, & vixisse asseuerant.

A B C D

De octimestri partu. Hippocratis locus difficilis explicatur. Cap. XXIV.

SEquitur octauus mensis. cui quum Hippocrates accedere dicat de septimo, de nono, & de anno, vt eius loci sensus pateat, scire licet, quod, quum mensis, vt diximus, sit dierum circuitus a nouilunio vno ad nouilunium alterum per plenilunium; quocunque die fiat conceptus, si qui-

A ſi quidem tempus quod a conceptu ad finem vſque menſis intereſt, maiorem menſis partem referat, & menſis dimidium exuperet, quamuis integrum menſem non conficiat, qui eſſe debet dierum vigintinouem cum dimidio; haberi tamen pro integro menſe. Sic Hippocrates partem menſis menſem eſſe ait: & in ſeptimeſtris partus menſe primo, quo exactus dicatur, maiorem menſis partẽ ſumit; nempe dies quindecim. Quod ſi dies plures deſint, veluti ſi conceptus factus ſit poſt plenilunium; tunc quidem, ſi adhuc plenilunij vis perſtet, quod fere eſt ad quintum vſque poſt ipſum
B diem; dictare id ratio videtur, vt quantumcunque eſt, quod ad finem vſque menſis ſupereſt, pro integro menſe habeatur. at ſi conceptus factus ſit tot poſt plenilunium dies, vt plenilunij vis minus ſit efficax, veluti ſi poſt quadrantem Lunæ poſtremum; tunc, quia fœtus primi illius Lunæ circuitus parum attigit, indigni ſunt pauci illi dies, qui pro menſe habeantur. in his inchoanda menſium enumeratio eſt a proximo nouilunio, & huic menſi, tanquam primo, pauci illi nouilunium præcedentes, ſunt adiungendi. Si er-
C go conceptus ad menſis initia, & gratia exempli, ad diem quintũ fiat, erit primus menſis dierũ tantũ viginti quatuor cum dimidio. Deſunt illi igitur dies quinque, qui negliguntur: ita vt vigintiquatuor illi pro menſe primo completo habeantur. Sic fit, vt de primo (qui pro ratione lunaris mẽſis eſſe deberet dierũ vigintinouem cum dimidio) ſecundus menſis dies illos quinque ſurripere videatur. & eodem ordine tertius de ſecundo, quartus de tertio, quintus de quarto, ſextus de quinto, ſeptimus de ſexto, octauus de ſepti-
D mo, nonus de octauo, & decimus de nono. At ſi e conuerſo conceptus ſit de vigeſimo quinto, ita vt ad menſis finem dies deſint quatuor cum dimidio, quia, vt diximus, tot cenſentur menſes, quot ſunt ex nouilunio & plenilunio circuitus; dies illi quatuor cum dimidio, qui reliqui ſunt a die conceptus ad nouilunium, adduntur primo menſi, ita vt hic ſit dierum trigintatrium cum dimidio. Habet igitur menſis primus præter ſuos viginti nouem cum dimidio, quatuor cum dimidio, quos ſurripere videtur ſecundo. ſic toti-

dem secundus, quos aufert de tertio: atque ita deinceps, A octauus totidem quos detrahit de nono: & totidem nonus, quos surripit de decimo. Patet igitur ex his quomodo octa uus mensis nunc habeat de septimo, nunc de nono, quod Hippocrates notat. Quod autem habere ait etiam de anno, videtur intelligendum, si mensis octauus vulgaris comparetur lunari. Quum enim lunaris sit dierum vigintinouem cum dimidio, vulgaris dierum triginta; sicuti vulgaris primus occupat de lunari secundo dimidium diem; ita secundus de tertio diem integrum, tertius de quarto diem vnum cum dimidio, quartus de quinto binos dies, quintus B de sexto binos dies cum dimidio, sextus de septimo tres integros, septimus de octauo tres cum dimidio, octauus de nono dies quatuor. Quod quum ita habeat, quia ex duodecim vulgarib. mensibus annus conficitur, non præter rem occupare dicitur octauus etiam de anno. Ita difficillima Hippocratis sententia videtur posse interpretari. At si res ita sit intelligenda; apertum quidem est, non octauo tantũ mensi, sed singulis mensibus accidere, vt habeant nunc de præcedenti mense, nunc de sequenti, atque etiam de anno. C Quid ergo hoc aduertit de solo octauo? Obseruandum est, illius, vbi hoc scribit, propositum. Agitur eo loco de octimestri partu, quem, quum alij vitalem asserant, alij negent; dissidium hoc ex eo pendet, quod non omnes eodem modo enumerant menses, neque octauum mensem expendũt. cuius prout varie numeramus, pars, nunc prior videtur esse pars septimi mensis, nunc posterior noni aut anni. vt ille dicit. De octauo igitur, de quo maxima erat controuersia, non de reliquis hæc scribi opportunum videbatur. Cete- D rum, quamquam non videntur hæc a ratione dissentanea, hanc ipsam tamen huius loci interpretationem id perturbat, quod paulo post subdit hæc verba. Verum dies non similiter vel dicunt, vel cognoscunt mulieres. decipiuntur.n. ex eo, quod non eodem modo fiunt, sed aliquando a septimo mense plures dies accedũt ad quadraginta, aliquãdo a nono. tunc enim fieri necesse est, prout contigerit mulierem in ventre concipere, tum mense, tum tempore. Quæ verba

scri-

A ſcriptam eſſe ſuperiorem ſententiam ſignificant, facta obſeruatione quadragenarij circuitus: ad quem nunc a ſeptimo, nunc a nono ait plures dies accedere. Profecto non ſunt hæc ſuperioribus clariora. age tamen, an veri aliquid ex ijs liceat exculpere, videamus. Propoſuit cauſam diſſidij in decernendo de octimeſtri partu, nempe errorem in enumerando; &, quod, qui ſeptimus eſt, aliquando videtur octauus; qui antē octauus, videtur ſeptimus,& aliquando etiam nonus; quod, vt licuit, paulo ante explicauimus. Erroris eius cauſam aliam nunc adducit. quod non eodem
B modo fiunt. (intelligit partus) ſed aliquādo a ſeptimo menſe plures dies accedunt ad quadraginta, aliquando a nono. Afferēdum hoc loco eſt ex hoc ipſo libello ad calcem, tres quadragenarios circuitus in fœtibus iudicare. primum a conceptu; ſecundum, quo circa menſem octauum fœtus in vtero ægrotat. (eſt vero is ſextus) & tertium poſt ortum. Quod igitur hic de quadraginta ſcribitur,de ſecundo ex his quadragenario eſt: de quo etiam hoc ipſo in libro antea dixerat, ex ſeptimeſtribus fœtibus plurimos perire ob affli-
C ctionem, quam perferre coguntur ex vtero egreſſi. Sextus igitur quadragenarius circuitus, quia certo tempore cum menſium enumeratione non ſemper aduenit; propterea incertam de partu octimeſtri obſeruationem reddit. Hoc quomodo verum ſit, ſic patebit. Factus ſit conceptus quinto menſis die, primus menſis dierum eſt viginti quatuor cum dimidio. menſes ſex, qui ſequuntur, dies ſunt centum ſeptuaginta ſeptem. quibus additi viginti quatuor cum dimidio ducenteſimum primum, & dimidium diem complēt.
D Quintus quadragenarius circuitus in diem ducenteſimum deſinit. ſuperſunt igitur duo poſtremi illi dies; qui, licet ſint ſeptimi menſis, ſunt tamen non vitales,quia extra quintum quadragenarium ſunt. Die ducenteſimo ſecundo cum dimidio octauus menſis incipit, qui deſinit in diem ducenteſimum trigeſimum primum. Sequitur nonus, cuius dies primi octo ſunt de ſexto quadragenario circuitu propterea ipſi quoque non vitales, quamuis ſint noni menſis. Sit rurſum conceptus die menſis decimo quarto, primus menſis

die-

dierum est quindecim. septimus mensis desinit in centesimum nonagesimum tertium. Die centesimo nonagesimo quarto incipit octauus. habet is dies septem vitales, quia tot desunt ad quadragenarium quintum absolutum. finis octaui mensis est die centesimo vigesimo tertio cum dimidio. Hic nonus mensis inchoat in sexto quadragenario, in eo perstans per totum diem decimum sextum cum dimidio. totum hoc tempus, licet noni mensis, non est vitale. Hæc igitur ad huius loci explicationem venere nobis in mentem, a superioris sententiæ sensu quem attulimus, non diffidentia. Quibus addendum est, non raro fieri, vt prægnanti mulieri, non primo tantum, sed etiam secundo, ac tertio post conceptum mense vteri purgationes prodeant. id quod perturbare illarum iudicium potest. vt, quæ moris esse ordinarij norunt, facto conceptu menstrua cohiberi, repetente ea excretione, concepisse se se non arbitrentur, quum tamen iam conceperint. quo fit, vt si primo a conceptu mense fluant menstrua, quæ nono mense pariet, octauo peperisse arbitretur. A B C

Cur octimestres non viuant. *Cap. XXV.*

RElIqua erat de octimestri fœtu dubitatio, cur non viuat. Cuius causam, quum Mathematici referant in Saturnum octauo mensi præsidem, frigidum, & siccum, propterea vitæ inimicum; eos tamen missos faciunt philosophi, qui solo lumine, ac motu superiores orbes agere in hæc inferiora, & a bono nihil nisi bonum prodire censent. Ex his aliqui inesse id aiunt humano semini, quod tritico, & alijs quibusdã peculiare est; vt semẽ aliud sit septimestre, aliud nouimestre. Octimestre autem de natura esse nouimestris, sed imperfectum. propterea non aptum ad vitam. At si hæc humani seminis sit distinctio, profecto, sicuti triticum, & milium, tum id celerius, tum id, quod serius nasci solet, æquali semper tempore nascitur; ita, cui homini semen septimestre sit, is septimestres semper fœtus, non etiam nouimestres; & cui nouimestre, nunquam septi- D

mestres

A meſtres procrearet; contra quotidianam obſeruationem, qua ex iiſdem parentibus & ſeptimeſtres, & nouimeſtres eſſe ortos contigit. Veram igitur Hippocrates docuit huiuſce varietatis rationem. Quum enim in ſeptimo menſe fœtus in quærendo exitu laboret, & ex labore imbecillus reddatur; inde fit, per accidens quidem, ſed vere tamen, vt ſi ſeptimo menſe tranſacto prodeat, in quadragenario ſexto prodeat, qui quum in vtero eſſe ſoleat grauis, extra vterum autem grauior, ob inſueti aeris, atque alimenti ac-B ceſſionem; inſalubris eſt, & maleficus. Non ita, ſi in nonum menſem exitus protrahitur. quod, quum in octauo intra vterum inſtauretur, in maioremque molem, ac robur maius proficiat; fit, vt, quum exit, externis iniurijs minus ſuccumbat. Quid ergo? Nonne octimeſtres & Ariſtoteles, & Auicennas alicubi viuere affirmant? Verum, quæ raro eueniunt, adnotare tantũ ſatis eſt, non etiam vt ex naturæ propoſito, ac lege conſtituta pronunciare. Si alicubi vixiſſe octimeſtres contigit, ſiue id ob cauſam paulo ante allatam C acciderit, quod ſcilicet partus in quinto quadragenario circuitu fuerit; ſiue ob regionũ calorẽ fœtus ẽt imbecillos fouentẽ: alibi tñ paſſim non viuere obſeruatũ eſt, quod ab Hippocrate, vt id quod frequentiſſimũ eſt, recte fuit adnotatũ.

Qui nono, aut decimo menſe nati viuant. Cap. XXVI.

NVnc de nono menſe agendum. Cuius quum, ſicuti & præcedentium, non idem ſemper ſit prin-D cipium, & finis; ſed pro conceptus tempore, & pro quadragenariorum circuituum decurſu, varius; ita non idem euentus. Si integri menſes lunares ſumantur, noni principium eſt dies ducẽteſimus trigeſimus ſeptimus; finis ducenteſimus ſexageſimus quintus cum dimidio. primi tres dies in ſexto adhuc quadragenario ſunt, quare inutiles ad vitam: reliqui omnes vitales. Quod ſi, vt proxime dicebamus, conceptum die quinto factum eſſe accidat, quia primus menſis dierum eſt viginti quatuor cum dimidio, noni principium eſt poſt diem ducenteſimum trigeſimum primum

mum cum dimidio, finis in ducenteſimo ſexageſimo primo. A
in hoc primi octo dies cum dimidio, qui intra ſextum quadragenarium circuitum ſunt, inutiles erunt: reliqui dies vnus ſupra viginti, omnes vtiles vſque ad ſeptimi quadragenarij abſolutionem. qui, quum decimi menſis dies decem cum dimidio attingat, fit etiam vt menſis decimus tot diebus aptus ſit ad vitam. At rurſum, ſi, vt in ſecundo exemplo diximus, conceptus ſit die decimo quarto, quum menſis primus ſit dierum quindecim, prætereaque noni menſis initium ſit poſt diem ducenteſimum vigeſimum primũ cum B
dimidio, finis ſit dies ducenteſimus quinquageſimus primus; apertum quidem eſt, primos dies decem & ſeptem cum dimidio, qui ſunt quadragenarij ſexti, inutiles eſſe ad vitam; reliquos duodecim vtiles, qui ſunt ſeptimi. Prorogatur autem ſeptimus quadragenarius circuitus ad ducenteſimum octogeſimum. quo fit, vt ſequentis decimi menſis qui ducenteſimo octogeſimo primo cum dimidio deſinit, dies viginti octo, ſint vitales; vnus cum dimidio reliqui, non vitales, quos quadragenarius circuitus octauus com- C
præhendit. Hæc quum ita dictet ratio, quod quidem in libro de principijs ſcribitur, non viuere præter ſeptimeſtres niſi qui ducenteſimum octogeſimum diem attigerit, ſic intelligendum, vitales eos, vt ſtatuamus, qui in quadragenario illo circuitu naſcuntur; cuius terminus eſt dies ducenteſimus octogeſimus: qui quadragenarius eſt ſeptimus. alioqni a veritate, & ratione prorſum diſſentit, ſolum diem illum vtilem eſſe ad vitam. Ex his patet, quomodo Hippocrates non temere alibi decimeſtres quoq; vitales cenſeat, D
non illos tamen ſolũ vitales eſſe velit, qui decimo menſe naſcuntur. Patet etiã, qui partus in nono, & decimo menſe natura ſint vitales; nempe vniuerſim, qui intra ſeptimum quadragenarium circuitum fiunt.

De decimeſtri, & vndecimeſtri partu Hippocratis locus difficilis expenditur, & explicatur. Cap, XXVII.

SEquuntur partus vndecimeſtres. quos, quum in libello de octimeſtri partu Hippocrates ex ſeptem quadra-

A dragenarijs eodem modo, quo decimestres fieri scribat, miram rem refert. Sed est etiam quicquid ad eius libelli calcem vsque scribitur, obscurum, quod propterea dignum est, vt expendatur. Hippocratem ergo loquentem audiamus. Ceterum decimestres, & vndecimestres partus ex septem quadragenarijs eodem modo fiunt, velut ex dimidio anno septimestres. plurimis enim mulieribus necessarium est in ventre concipere post menstrua purgamenta, vbi ab his exolutæ fuerint. Oportet igitur mulieri tempus dare mensis, in quo ipsa purgatio continget: & hoc tem-
B pus quibus breuissimum fit, tres sunt dies; plerisque autem multo plures. Sunt autem & alia impedimenta etiam in viris, ex quibus conceptus retardatur. Oportet autem vel maxime hoc considerare, quod nouilunium, quod dies vnus existit, proxime trigesima mensis pars est: duo autem dies fere quindecima mensis pars sunt. tres vero dies pars mensis decima sunt, & reliqua iuxta horum rationem. & non est possibile in paucioribus partibus fieri neque menstruorum solutionem, neque fœtuum conceptionem.
C Ex his igitur omnibus necessarium est plerasque mulieres circa plenilunium, & vltra in ventre concipere, vt ducenti & octoginta dies sæpe vndecimum mensem appræhendere videantur. tot enim dies septem quadragenarios cōstituunt. Nam quum vltra plenilunium mulier concipit, necesse est eum conceptum vndecimum mensem attingere, ac apprehendere quo ad vltimum circuitum perueniat. Hæc ille. Qui, si res acrius expendatur, duo capita proponit. primū, quod decimestres, & vndecimestres ex septem
D quadragenarijs eodem modo fiunt, quo ex dimidio anno septimestres. alterum, errare mulieres in mensium deductione. Explicemus primum. Septimestres fieri dimidio anno ostensum est in libro de septimestri partu, sumendo primum, & vltimum mensem mutilos. Si igitur hic quoq; primus, & vltimus mensis mutili sumantur, constabit quomodo vtrique & decimestres, & vndecimestres, quadragenarijs septem nascantur. Quum ergo conceptus fiat aliquando vltra plenilunium, sit is, gratia exempli, factus

tertio

tertio post plenilunium die, id est, die decimo sexto cum di- A midio; supersunt dies tredecim, qui primum mensem constituunt. Addantur integri menses octo, qui sunt dies ducentum quadraginta; ac præterea vltimi mensis mutili dies viginti; summa tota est dierum ducentum septuaginta triũ. atque his absoluitur decimus mensis. Ab hoc ad diem ducentesimum octogesimum, qui est finis septimi quadragenarij, desunt dies septem, qui tribuuntur mensi vndecimo. constat ergo & decimestres, & vndecimestres esse in septimo quadragenario. Sed fac rursum, vt menstrua pluribus diebus fluxerint, vt multis solent. si fluxerint ergo sex B dies, ita vt vigesima die fiat conceptus, tunc supersunt dies decem. quo dierum numero, licet mutilo, primus mensis constat. his adde menses octo integros, id est, dies ducentum quadraginta; ac præterea dies postremi mensis viginti, summa est dierum ducentũ, & septuaginta, quibus decẽ dies desunt ad septimi quadragenarij finẽ. hi vero sunt mẽsis vndecimi. Sic quidẽ septimo quadragenario nasci accidit, & qui decimo mense nascuntur, & qui vndecimo. quanquã, qui hoc tẽpore vndecimestres nascũtur, nõ sunt parti- C cipes nisi decem lunariũ circuituũ; nempe decẽ pleniluniorũ, & totidem nouiluniorũ. quorum.n. conceptus est in plenilunio, eorũ ortus est post decimũ nouiluniũ. Accedamus iam ad secundũ caput. Plerasq; ait mulieres necesse esse in ventre cõcipere post menstrua purgamenta. Quũ non omnes, sed plerasq; ait post mẽstrua concipere, dici id potuit, tũ propter eas, quæ licet nunquã eiuscemodi excretiones sint passæ, concepere tñ: tum illarũ causa, quæ instante pur- gatione concipiunt: tũ quia aliquæ in ipsa etiã purgatione D concipiunt: tum quarto propter illas, quæ post purgationẽ quidem absolutã concipiunt, sed non statim. huic postremo sensui illud consentit, quod aliquot post versus subdit, esse alia multa impedimenta ẽt viris. Quibus innuit conceptũ prorogari, & mulieris quidem culpa: cui menstrua, purgatione absoluta accidere aliqua possunt, ob quę semẽ non retineat: & præterea etiã culpa viri. a quo.s. non semper fœcundũ semen affertur ob varias causas. Hactenus igitur

A docet conceptũ retardari ob cauſas propoſitas. diſtractis quidẽ,& non cõtinuatis(vt ſæpe in veteribus libris accidit) ſententijs; at re ipſa tamen cohærentibus. Interpoſitũ his illud erat. (Oportet igitur mulieri tempus dare menſis, in quo ipſa purgatio continget: & hoc tẽpus quibus breuiſſimũ fit,tres ſunt dies,pleriſque autem multo plures.) Quibus verbis quid velit, patebit, ſi coniungantur quæ deinceps ſequuntur,quũ ait. Oportet aũt vel maxime hoc conſiderare, quod nouiluniũ,quod dies vnus exiſtit, proxime trigeſima mẽſis pars eſt, duo aũt fere quindecima, tres vero pars de-
B cima.Hæc.n.vt ſuperiora quoq;, ad tollendũ errorem pertinet, quo mulieres partũ, qui vere decimeſtris eſt, vndecimeſtrẽ eſſe arbitrantur. Quando igitur mulieres pleræque abſoluta purgatione concipiunt, & non tamen ſtatim, ob impedimenta, quæ & mulieri, & viro poſſunt accidere; & quando ẽt earũ plurimę per dies plures, ſaltem aũt tres purgantur; ſi conceptũ fieri accidat poſt pleniluniũ; certe quũ dies ante pleniluniũ ſint quatuordecim cum dimidio, ſi ijs adijcias tres purgationis dies, ſumma erit dierũ fere duode
C uiginti; qui, quia ſunt extra conceptũ, iure non ſunt in ſupputatione tẽporis partus ſumendi. Atqui mulieres aliquando eos quoq; ſimul cum conſequentibus conceptũ ſumunt. hinc igitur fit, vt enumeratione facta per dies; partus, vndecimeſtres videantur; qui vere, reiectis diebus, qui ante conceptũ, ſunt decimeſtres, neq; excedunt numerũ ducentũ & octoginta dierũ. Et hæc de propoſita ſententia. Quæ aũt in his de nouilunio, quod fere trigeſimã menſis partem eſſe ait, deq; alijs diebus afferuntur, eo pertinent, vt intelli
D gamus eos, qui vndecimeſtres iudicantur, eſſe tamen decimeſtres, ſumendo non ſolũ menſem vulgarẽ, qui ex diebus eſt triginta; ſed etiã lunarem, qui illo, dimidio die eſt minor. ita vt nũquã partus reuera vndecimeſtris ſit, licet eſſe videatur.Hæc vult,vt puto, Hippocrates. Qui ẽt recte hæc accidere ait, vbi conceptus fiat poſt pleniluniũ. ſi.n.ante ipſum factus ſit, non eſt mulieribus occaſio, ob quã numerando eos dies ante conceptũ addant; qui additi, vteri diutius geſtati ſuſpicionẽ præbeat. Ex dictis illud ẽt apertum

eſt,

eſt, quid ſit quod ſcribit, mulieribus dare oportere tẽpus, A
in quo purgatio contingit, ſaltẽ dierum triũ. nempe hoc ad
initiũ conceptus intelligendũ ſpectat. quo intellecto, quo-
modo vndecimus mẽſis in ſeptimũ quadragenariũ incidat,
perſpicuũ fit. Quod aũt hęc ſcribi aliqui aiunt, quia tot dies
addere oporteat, quot ſingulis menſibus expurgari extra
conceptũ mulier conſueuerat, non aſſequimur. Nempe, quũ
intermedij menſes integri ſumantur, intra quos illi quoq;
dies expurgationi menſtruæ dicati continentur, ſi dies toti-
dẽ menſibus illis addas, quot protrahi excretionẽ illã mos
erat, in illis, quæ menſtrua per ſex dies pati ſolent, nouem B
menſibus dies quinquaginta quatuor adiungere oporteret.
ex quo, aliquando, ſed maiori ex parte, vndecimo menſe
partus eſſet, quẽ nono eſſe exiſtimamus. Sed quorſum etiã
eos dies addere? Aiunt totidẽ in geſtatione vteri matrẽ ſi-
lente Luna, fœtui nihil de ſuis viribus impartiri. propterea
in diuturnius tẽporis ſpaciũ partũ protrahi. Quod non ſatis
probabile eſt. Vt. n. facto cõceptu fœtus perpetuo nutritur,
proficitq; in melius; ita dare oportet, illũ & matris calore,
& cœli beneficentia ad abſolutam vſq; perfectionẽ, atque C
exitum perpetuo foueri.

De partu in decimoquarto menſe facto ex Auicenna. *Cap. XXIII.*

QVod poſtremo de eo fœtu, qui decimoquarto menſe
natus ſit, ab Auicẽna de fidæ mulieris narratione ſcri
bitur, cur non coniecturã hanc ex eo errore prodijſſe arbi-
tremur, quo frequenter duci mulieres author eſt Hippocra D
tes? Nempe, vt conſueta excretione vteri iam aliquot men
ſibus retenta mulier ſe ſe concepiſſe exiſtimet, quũ tamen
non conceperit? Illi ergo cui ſuppreſſis per menſes iã quin-
que menſtruis conceptio ſucceſſit, non difficile fuit, quod
menſes quatuordecim vtero geſtarit, perſuadere.

D. O. M.

GRATIAS.